

C. G. F. S. D. HILDE

HAMBURG 1700

De N. Vernulao, ejusque Operibus, vid. Paquot, memoires
tom. i. pag. 328. Edition. in folio

B. 4555.

DISPV TATIO BREVIS & CATEGORICA
DE PROBA
an 1721
S T I G M A T I C A
VTRVM SCILICET EA LICI-
TA SIT, NECNE.

In quâ pars negatiua propugnatur.

VNA CVM REFVTATIONE
COMMENTARII IVRIDICI, HAC
eadem super re, à clariss. & consultiss. D. PETRO
Ostermanno I. V. Doct. nuper
conscripti.

IN LVCEM EDITA
à

R. D.^{no} IOANNE IORDANÆO
S.Th. Doctore Collegiarum Ecclesiastum SS.CASSII, & FLO-
RENTII Bonnensis, & B. MARIAE Ressensis, ac Paro-
chialis S.REMICII Bonn.Canonico,
& Pastore.

Consula Sedis Apostolica, quam humillimè subiecta.



COLONIAE AGRIPPINÆ,
Sumptibus Authoris. Prostat in Officina
Libraria Egmondana.

ADWOCATIONE MUNICIPALIS
AC AD ESTATEM

A. O. I. P. A. M. S. I.

ANNUALIS TERRITORIUM

DER C. P. S. I.

EXTRACTUS

DE A. O. I. P. A. M. S. I. ANNUALIS TERRITORIUM
C. P. S. I. 1700.

Q. M. A. S. I. P. O. I. P. A.
1700.

ANNUALIS TERRITORIUM
C. P. S. I. 1700.

DEDICATORIA.

Reuerendiss. & Sereniss. Principi,
ac Domino

Dn. FERDINANDO,
ELECTO ET CONFIRMATO
ARCHIEPISCOPO COLONIENSI, S. ROMA-
ni Imperij per Italiam Archicancellario, & Principi Electori, Epi-
scopo Paderbornensi, Leodiensi, & Monasteriensi: Administra-
tori Hildesheimensi, Brechtesgadensi, Principi Stabulensi: Co-
miti Palatino Rheni: vtriusq; Bauariæ, Westphaliæ, Anga-
riæ & Bullionis Duci, Marchioni Franchimon-
tensi, Comiti Løssensi, S. Sedis Apostoli-
cæ Legato nato, Domino meo
Clementissimo.

SERENISSIME PRINCEPS,
Clementissime Domine.

Rodijt præteritis nundinis Franco-
furtensibus, libellus quidam Iuridi-
cus R.^{mæ} Serenitati V.^{rx} dedicatus, in
quo author ex professo probare in-
tendit, quòd Iudices, qui hoc ulcerissimo tem-
pore contra immanissimum, & pestilentissi-

EPIST. DEDICATORIA.

mum Magiæ crimen inquirunt, tutâ conscientiâ vti possint, & debeant Probâ stigmatica, & secundum probæ huius certum quendam, vt ipse putat, effectum de personis hoc vitio infestis dijudicare. Quem sanè librum, vt is mihi ab amico quodam traditus fuit, auidè perlegi omnino sperans propositam materiam ab authore accuratè fuisse discussam, ipsamq; probam tam solidis argumentis corroboratam, vt quiuis doctus, & prudens in authoris illius esset iturus sententiam. Nam cum Probam istam, quòd ingenuè fateor, semper suspectam habuerim, nihil potuisset mihi gratius accidere, quām rem tantam rationum suarum momentis iustè fuisse libratam, & veritatem, cuius omnes amantes esse debemus, in omnium, ac singulorum cognitionem deducam. Sed, verum vt fatear, spe mea frustratus cecidi, nec quidquam contigit minus, quam id, quod optaram, & de quo authori, vt potè pio, & docto viro, animitus fuisse gratulatus. Etenim, quando librum aspexi, aduerti statim, quod author post longas de industria institutas ambages vix ad statū quæstionis accedat,
 & sen-

EPIST. DEDICATORIA.

& sententiam, quam oppugnandam suscepere at duabus duntaxat rationibus, nec illis admodum solidis cōcutiat, ut proindē ex huius libri lectio ne in sententia meā, quam, vīlis melioribus in contrarium rationibus, deposuisse lūbentissimē, magis, magisq; fuerim confirmatus. Quam obrem cum & ego veritati iam pridem litaue rim, & quotidie litem, statum quæstionis illius inuestigauī; veritatē insuper solidis, & claris, ni fallor, rationibus confirmaui: atque rem ipsam, de quā disputatio suborta est, ad altiora principia, à quibus dependet, reuocauī. Deniq; totum istum librum refutare aggressus sum, non alia (Deum testor) inductus ratione, quam vt iustitia regiam viam incedat, & veritas omnibus innotescat. Nec fuit, quod obtrectatorum, vel, vt cuī S. Hieronymo, dicam canum meorum per timescendum mihi putarim inuidiam, allatratumq; cum R. m^a serenitatis V. r^a protectione, vt spero, munitus in publicum eā. Scio enim serenitatem vestram, vt auitæ pietatis singulari Dei munere tenacissima est, ita & veritatis cognoscendæ, ac defendendæ audiessimam esse, nec

* 3

quid-

EPIST. DEDICATORIA.

quidquam adeo Serenitati vestræ placere, quam si intelligat, quod Clerici, & ij potissimum, quibus animarum cura commissa est , sacram scripturam, & omnia, quæ eò pertinent, quotidiè cōtrent. Offero itaq; R.^{mæ} Serenitati V.^{ra} hoc quidquid est operis, illud vnicè , demississimeq; rogans, quatenus Serenissima V.^{ra} Celsitudo & me, & hunc Tractatulum fauore suo clementissimè prosequi velit, quo & animus mihi addatur, vt alia, eaq; maiora, & vtiliora in publicum Ecclesiæ bonum meditari deinceps non formidem. Præpotens, & benignus Deus R.^{mam} Serenitatem V.^{ram} quam dutissimè velit seruare in columem. Bonnæ anno 1630. ipso festo S. Gregorij.

R.^{mæ} Serenitatis V.^{ra}

Humillimus Seruus

Ioannes Iordanus S.Th. Doct. & Past. Bonn.

Ad Lectorem.

UT Africa semper aliquid noui: ita diabolus semper aliquid, quod nouum est, in perniciem nostram machinatur. Abrogatis siquidem per sedem Apostolicam Vulgaribus Probris omnibus, que superioribus seculis fuerunt in usu, & nouissima ista itidem explosa à viris doctis, quā Sagae supra aquam projiciebantur, aliam adiuuenit, instituitque Probam scilicet stigmatcam, cui & illud annexuit mysterium, quod personæ, quæ de Magia crimine suspectæ sunt, de eodem crimen conuictæ habeantur, si illæ acu pungantur, ac interim sanguinem ex vi illius punctionis per stigma exploratum non emittrant, maxime hi & insensatae permaneant. Quod quia in plurimis quasi per experientiam omnino exploratum est, plurimos homines non solum admirationem sui rapuit, sed approbatores, & executores suos etiam adiuuenit, adeò ut & Clariss. & Consultiss. D. Petrus Ostermannus I.V. D. publico à se edito scripto institutum hoc propugnare fuerit conatus, sicuti & aliae probæ antiquiores suos defensores adiuuererunt. Cæterum quod Proba hæc aperto Dæmonis instituto nitatur, nihilq; in ea boni humano generi datum esse, mihi persuasissimum est, & iure merito Diabolum & in hoc suo instituto expugnari posse, & debere. Quem in finem, hunc, quem exhibeo, libellum confeci, & Ostermannica argumenta refutare aggressus sum, aliud propositum hacin re non habens, quam honorem Dei, diaboli confusionem, & animarum salutem. Progressus sum forte, quam res tanta postulabat breuius; sed vix aliud vrpotè temporis angustijs constrictus, & alijs occupationibus distentus, librorumque copia destitutus, facere potui. Te interim quisquis es, lector, obtestor, ut ad statum Questionis oculos quamprimum conijicias, ac rationes quas in medium adfero, omni seposita passione perpendas; & dein tecum statuas, utri nostrum, Ostermanno, an mihi, victoriæ adiudices, demum & illud ex meo qualicunque discursu addiscas, tibi si lapis, salutem tuam cum timore, & tremore operandam, quoniam tan multi potentes, tortuosæ, & peruvicaces sunt nobis aduersarij, quos Apostolus, Principes, ac Potestates harum tenerrarum vocare non dubitauit.

STATVS

ERRATA BENEVOLE LECTOR SIC CORRIGE.

¶ Ag. 2. ded:lin: 4. lege; in festis pro: infestis. ibid: pag. 3. lin: 17. lege; pertimes cendam pro: pertimes cendum. in fine eiusd: lege; diutissimè pro: du-tissime. In præfati uncula ad lectorem lege; nihil pro. nihil q;

Libelli pag: 4. lin: 31. stigmatizationem pro: stigmatirationem. pag: 6. lin: 10. lege; & pro: ex. pag: 7. lin: 20. lege; Iuris consultus pro: sanctus. pag: 10. lin: 35. lege; quam vñquam alias pro: nunquam alias. pag: 12. lin: 5. lege; quo suam pro: quo snam. pag: 13. lin: 13. lege; aitio logia pro: astrologia. pag: 13. lin: 16. lege; hoc pro: hic. pag: 13. lin: 29. adde lege ideoq; si hoc. pro: ideoq; hoc. pag: 19. lin: 1. lege; probatur pro: probatum est. ibid: lin: 8. lege; vi alicuius pro: vt alicuius. pag: 20. lin: 8. lege; præsumuntur pro: præsumunt. ibid: lin: 10. lege; deletione pro: dilectione. pag: 22. lin: 8. lege; Achab pro: Rechab. ibid: lin: 30. lege; Christiano pro: xanziano. pag: 24. lin: 14. lege mersus es pro: emersus. ibid: lin: 21. lege; iudicio pro: inditio. ibid: lin: 35. dele. et. pag: 26. lin: 7. lege; inditia pro: iuditia. pag: 27. lin: 20. lege; qua pro: quam. ibid: lin: 30. lege; reuelatis pro: reuelat. pag: 29. lin: 8. lege; exorcisatus pro: exercitatus. 9. ibid: lin: 17. aitologia pro: astrologia. pag: 33. lin: 6. lege; curiosa. pag: 34. lin: 19. lege; hic pro: sub. pag: 37. lin: 24. lege; quam per signa. pro: quam signa. pag: 38. lin: ult: lege; inditij pro: iuditij. pag: 39. lin: 4. lege; personis pro: ex personis. ibid lin: 31. lege vexam hac pro vexam hanc. pag: 40. lin: 4. lege; tuta est vera est pro: ruta verè est. ibd: lin: 17. lege; lib: 3. cap. 4. n. 23. ibid: lin: 8. lege; is pro: id. & Medicus pro: Theticus. pag: 41. lin: 10. lege; iniustos pro: iustos. pag: 42. lin: 18. lege l. 15. §. 1. pag: 43. lin: 20. adde acper. pag: 45. lin: 29. lege. & proba. pag: 48. lin: vlt: lege; judices pro: indices. ibid: tutissimè pro: tritissimè. pag: So. lin: 25. lege; indicium pro: inducium. ibid: lin: 31. lege; catatq; pro: citatiq; pag: 51. lin: 1. pro: lib: pone l. pag: 54. lin: 32. lege; vtcunq; pro: vtrumq; pag: 57. lin: 11. lege magiam. pag: 58. pone l. pro: i.

Reliqua, & maximè commatum aliarumq; distinctionum errata, tua industria corrige.

STATVS QVÆSTIONIS, ET DISTRIBVTIO EIVS.



M I S S I S ijs, quæ Clariss. Dominus PETRVS Ostermannus Iuris vtriusq; Doctor septem prioribus libelli sui sectionibus disputat, & latè enarrat, eò quod ad rem nostram non pertineant, quæstio est inter me, & ipsum, non, an diabolus Sagis stigmata imprimere possit, nec etiam an ea ipsis imprimat, quod tamen multis, & ad longum probare conatur Ostermannus: sed num Iudices dum per aciculas stigmata ista explorant, & fluxum ac non fluxum sanguinis obseruant, itaque in Magiæ, ac non Magiæ cognitionem deueniunt, seipso, ac alios, quos probari faciunt, diabolica delusioni exponant, & num superstitione diuinent, Deum tentent, adeoq; grauissimè peccent. Ut autem questionem hanc, & omnia ad eam pertinentia quoad fieri potest ordinatè per terra etem, simulque aduersarij, qui probam hanc publico à scripto edito defendendam suscepit argumenta diluam, in subsequentia capita totum hunc tractatum subdividam.

Primo enim inquirendum est, quid de stigmatica proba hac sit sentiendum secundum Ius Canonicum.

2. Num inter vulgares probas ea debeat adnumerari.
 3. Num Iudices per stigmata probando, aut stigmata per fluxum, ac non fluxum sanguinis explorando seipso diabolica delusioni exponant.
 4. Num Iudices ad istum fluxum, & non fluxum sanguinis attendendo, superstitiose diuinent.
 5. Num DEVUM tentent.
 6. Num ex libro de tribus energumenis proba hæc probari vel reprobari queat.
 7. Num proba hæc bona conscientia practicari possit, saltem ex eo, quod probabili aliquia sententia nitatur.
 8. An ex libro Iob aliquid contra probam hanc adduci, aut opponi possit.
 9. Num Ostermanno eiusque sententiæ fautoribus, ac executoribus spes esse possit, fore ut sedes Apostolica probam hanc calculo suo approbet.
 10. Argumenta, si quæ forte sunt in contrarium, diluenda.
- Quod autem proba hæc ab ipso temporis punto, quo primum de ea audi-
re cœpi, mihi suspecta fuerit, nec adhuc mihi illa data sit ratio, ob quam eam
Ameo

CONFUTATIO

meo qualicunque ingenio approbem Protestor coram Deo, qui iudicaturus est viuos, & mortuos, me non alia ratione ad quæstionem, hanc quæ certè hoc tempore maximi momenti est, ventilandam, ac discutiédam permotum, quam Iustitiae, ac veritatis intuitu, quæ mihi tam arcto vinculo, & quidem sanctiori, desponsatae sunt, quam Ostermanno. Ad hoc enim me diuinitus vocatum sentio, ut supra mihi Dominicum commissum gregem iniugilem, quasi de omnibus, & singulis, qui ad curam meam pertinent, ratione in extremo Iudicio redditurus. Quod certè hoc tempore præstare non possum certius, tutiusq; quam si diabolicas fraudes, quæ in proba hac interuenire possunt, detegam, totique mundo cognitas atque exploratas faciam. Ipsa spero veritas, quæ modo quibusdam tenebris quasi crassissimis errorum nubibus obducta est, in apertum sese pandet, suaque propria collustrata luce, alijs incipiet, iam nunc splende-scere.

Quod si verò quis esset, qui hæc quæ dicturus sum, in malam partem interpretari, ac in sui contemptum, ac reprehensionem dicta esse sibi imaginari vellet, scire is debet neminem adhuc inuentum, qui omnium ingenio ac affectui satisfecit, dein eundem ipsum moneo, ut recordetur dicti illius Sapient. Prou. 27. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis; & iterum. Qui corripit hominem, gratiam inueniet postea apud eum magis, quam ille, qui per blandimenta decipit. Sed istis omissis ad rem accedamus, & sic.

CAPVTE.

*Quid sentiendum secundum sacros Canones de proba
hæc stigmatica.*

MVLTAS superioribus sæculis probas, quibus ij, qui de certis criminibus suspecti erant, sese purgare debebant, atque etiam purgabant, in vsu suis se constat ex Iure Canonico, historijs varijs, authoribus multis, & nominatim Reuerend. P. Martino Delrione, qui eruditè admodum, ac latè de toto hac materia lib. 4. Disq. Magic. quæst. 4. & 5. varijs Capitibus perscripsit. Quæ tamen probæ omnes, tametsi earum nonnullæ communii aliquarum gentium Iure receptissimæ essent, à sede Apostolica progressu temporis sunt abrogatae.

Hinc optimè deducit Nauarrus in summa Cap. II. num. 39. Peccare mortali-
ter eum, qui sumit, vel qui cogit, vel vult sumere, vel cogere ad sumendum feruenter aquam,
ferrum candens, vel prunas ignitas, vel in fornacem ardente ingredi, vel quid aliud simile ten-

tab.

PROBÆ STIGMATICÆ.

3

rat, vt à suspicione criminis, quod sibi imponitur seipsum expurget. Quæstio ergo est, num etiam hæc proba, quæ nouissimè inuenta est, & quæ per explorationem stigmatis à diabolo impressi sit, quæque à nonnullis Iudicibus hodier- no tempore usurpari cœpit, sit ipso Iure Canonico prohibita.

Ac licet per peculiares Canones proba hæc, quod sacris Canonibus, qui ex- tant, posterior lit, expresse prohibita non sit, virtute tamen, & quasi genericè ob materiæ, ac malitiæ paritatem, quam cum istis expressè antiquatis habere dignoscitur, merito abrogata censerri debet. Ita enim Sacros Canones exten- dunt Doctores, vt dicant non solum eas probas, quæ expressis Canonibus ab- rogarat sunt, & de quibus consulti Summi Pontifices responderunt, abrogaras esse, sed eas etiam, in quibus eadem est malitia, eademque superstitionis, ac Deum tentandi Paritas. Ita enim loquitur S. Thomas 22. qu. 95. ar. 8. ad 3. & 3. parte q. 8. o. a. 6. ad 3. Caietanus 2. 2. q. 95. a. 2. Delrio l. 4. c. 4. q. 4. sect. 3. §. 2. pro- batur Conclusio asserens hanc esse communem scholæ doctrinam, citatque ad marginem summistas verbo tentatio.

Eminentissimus item Theologus Franciscus Suarez tom. 1. de virtute religio- nis tract. 3. l. 1. ca. 3. nu. 8. docet istas probas, de quibus Iura, malas esse etiam se- cluso omni Iure positio, ideoque nihil referri, quod Iura in una vel altera a- ctione loquantur, quia nihilominus prohibitio ratione materiæ equiualet vni- uersali, citatq; S. Thomam vbi suprà, Alexandrum Alensem, & alios magni no- minis viros: idem etiam author in initio numeri citati dixerat, eandem esse ra- tionem de quibuscumq; operibus vel signis, quibus miraculosa diuinæ virtutis ostensio expectatur vel postulatur, quæ est de probatione per experimentum ferri carentis.

2. Nihil peculiare pro proba hac, adferri potest, cur æquè, quam aliæ, quæ iam antiquata sunt, & quibus ista substituta est, reprobari nō debeat. Imò aliae sub- inde fuerunt à sanctis hominibus ex peculiari Dei instinctu usurpatæ, ac coho- ne statæ de quibus aliqua adfert exempla Delrio citatus, quibus addo exemplū S. Chunegundis Virg. ac Imperatricis, & S. Gangolphi martyris. Hic enim, vt habet vita eius, cùm haberet vxorem de adulterio suspeccissimam, tandem ad eam, cùm ad limpidissimum fontem aliquem conuenissent, dixit. Eia fons ille propositus est, nec frigidus valde, nec immodecē calidus, in hūc igitur manum immitte, & ē fundo lapillum extrahē, & si quidem à culpa es aliena nihil mali patieris, sin autem polluta es, non sinet Deus latere scelus tuum. Tum illa cum intrepide iurādo, falsos de se rumores sparsos assereret, & illos beati viri sermones contemneret, vecordiæq; ascriberet, incunctanter in fontem manū iniecit. Ecce autē simulatq; ad se manū retrahere conata est, mēbris omnibus obriguit, abstractaq; ad digitis, & brachio, quo usq; aqua pertigerat, cute, nihil aliud misera

A 3

nisi

nisi repentinum interitum expectabat. Illa autem ut habetur apud Baronium tomo vndeclimo anno 1024. nu. 9. cum apud maritum suum Sanctum Henricum Imperatorem, & aequè virginem delata esset, quasi cum milite quodam consuefisset, securitatem sibi pariente innocentia, ignitos vomeres, non secus ac flores illæsis manibus pertractauit. Circa hanc verò probam, de quâ agitur, Deus nihil unquam peculiariter, quod quidem scitur est operatus, nec ullus sanctorum eam usurpauit unquam, ideoque minus excusationis habere videatur is, qui hac, quam qui illis yteretur ad innocentiam suam detegendam. Nam quod Deus peculiaria suâ prouidentiâ subinde cohonestauit, quodque sancti Dei homines interdum prædicarunt, magis certè excusabile est, si fiat, aut usurpetur à quopiam, quam illud, quod nullus sanctorum usurpauit unquam, quodque à diabolo inuentum atque excoxitatum esse præsupponitur.

3. Probatur haec sententia specialiter ex Capitulo consuliisti 2. q. 4. vbi Pontifex reprobans probam ferri candardis, & aquæ feruentis ait. *Quod sanctorum Patrum testimonio sanctum non est, superstitionis adiuventione non est presumendum. Spontanea enim confessione vel testimoniis approbatione publicata delicta commissa sunt regimini nostro iudicare.* Subsumo iam.

Atqui ista stigmatica proba nullo Sanctorum Patrum documento sancta est, ergo non est superstitionis adiuventione presumenda. Maior est summi Pontificis, cui Dominus Iesus vobis oves suas omnes, nulla excepta, ut eleganter ad Eugenium scribens deducit S. Bernardus l. 2. de consid. perpendens verba saluatoris Ioan. 21. v. 17. pascendas commisit. Cuius proinde vocem omnes quotquot Christiani sunt audire debent, etiam Reges ac Principes, Episcopi item ac Archiepiscopi omnes. Est quoque eadem maior eius Ecclesiæ Episcopi, ad quam ob maiorem principalitatem necesse est conuenire omnem Ecclesiam, & ad quam perfidia non potest habere accessum, ut ait S. Irenæus. Minor est evidens. Nam quod usus huius probæ sit legitimus, quodque Iudices recte diuinent, quando fluxum, ac non fluxum sanguinis attendunt, tam roboratur documentum SS. Patrum, quam quod album sit nigrum, vel nigrum sit album: vel si hoc ita non est, proferat qui volet Patrum testimonia, citetque loca, quæ statum Controversiæ nostræ attingunt, non quæ aliam nescio quam stigmati rationem, ac tessellationem referunt.

Confirmatur sicuti de fide est vel fidei proximum (de quo nostra modo non refert) quod S. Franciscus est in cœlis, & a nobis ut sanctus colendus, hoc ipso quod de fide sit, vel fidei proximum, quod per Pontificem, quo S. Franciscum in Catalogum sanctorum retulit, cumque a nobis colendum ut sanctum Ecclesiæ vniuersali proposuit, nihil proponi possit, quod fidei ac bonis moribus contrariatur; quale quid Pontifex faceret si nebulonem aliquem loco alicuius homi-

PROBÆ STIGMATICÆ.

5

Hominis sancti colendum Ecclesiæ proponeret. Nam hæc propositio S. Franciscus est in cœlis, & à nobis ut sanctus colendus, continetur in ista generali propositione. Pontifex non potest aliquid vniuersali Ecclesiæ proponere, quod fidei ac bonis moribus contrariatur. Ita planè certa esse debet hæc propositio. Proba per stigma à diabolo impressum est abroganda, & intolerabilis hoc ipso, quod nullo SS. Patrum documento est sancita. Nam continetur in ista generali, quam Pontifex in Capitulo illo consulisti protulit. *Quod SS. Patrum documento sanctū non est superstitione adiuuentione nō est presumendū.* Nam si ista particularis falsa esset, hæc quoque vera, quam Pontifex dixit, esse non posset. Sicuti hæc vera non esset, omnis homo est animal rationale, si unus homo esset, qui non esset animal rationale.

Dices. Propositionem illam quæ prædicto Capitulo continetur non esse determinationem Pontificiam, sed rationem, quâ ipse Pontifex motus est ad istam determinationem faciendam: non solere autem rationes, quibus Pontifex ac Concilia generalia ad aliquid determinandum mouentur, eiusdem esse certitudinis cum determinatione ipsa. Sed licet hoc ita esse concedatur, dubium tamen esse non potest, quin & rationes, ob quas Pontifex, ac etiam generalia Concilia ad aliquid determinandum, aut definiendum mouentur, magnum quoddam auctoritatis pondus, & quidem maximum quoddam in casu nostro verba illa Stephani V. in Capitulo illo consulisti, obtineant. Quid enim? annon nouitas certissima nota est, quâ passim refelluntur ac confunduntur noua, & hæretica dogmata, quæ indies contra receptam Ecclesiæ doctrinam obtruduntur, & disseminantur? Lutheranismus enim, & Caluinismus exempli causa, vel hoc solo nomine falsus & hæreticus reputatur, quod nullus ab initio nascentis Ecclesiæ ante Lutherum, & Caluinum exortum extiterit, qui ita per omnia docuit, sicuti hi prænominati hæretici docuerunt, mundoq; iam multis sæculis Christiano, ac Catholico persuadere conati sunt. Cuius rei ratio est, quod fidei Catholicæ auctor sit Deus, & Apostoli eius, vera itaque fides antiquior est, omnibus dogmatibus nouis, quæ successu temporis ab hæreticis ex cogitantur, atq; credulo mundo obtrudiuntur. Quid ni ergo habeatur illud de proba stigmatica dogma falsum. Nam ita nouum est, vt nullus SS. Patrum de eo vñquam meminerit, & toti Ecclesiæ Dei res ista magis sit inaudita quam Lutheranismus ac Caluinismus.

Porrò consistit hoc dogma in tribus subsequentibus punctis, quorum primum est, quod probæ huic assertores ad Dei prouidentiam pertinere putent, vt non permittat, quod diabolus alicui; qui de synagoga Magorum non est stigma illud imprimat. Ita imp̄ijssima Maria de Sains apud Ostermannum p. 53. propos. 13. Dicit enim veterius (Maria de Sains) quod diabolus quanquam vellet nō posset

A. 3.

signare.

CONFUTATIO

signare aliquem suo charactere, qui non esset in synagoga sua. Quoniam Deus amplius curat gerit de filiis suis, quam Pater aliquis, aut Rex optimus de subditis suis, aut villicus de pecore suo. Si ergo villicus non permetter pecus suum alienā notā insigniri, neque rex vasallum suum accipere insigne inimicorum suorum, multo minus Deus pernuntet. Quia si diabolus haberet illam potestatem, certe ipse huiusmodi stigmata imprimeret Iudicibus &c. Deinde, quia si Deus permetteret Diabolo, ut indifferenter daret stigmata sua quibusvis, etiam iustis, utique Deus videtur author falsitatis &c.

Ipsem etiam Ostermannus audacter satis, ne quid dicam aliud pag. 86. ita pronuntiat, nocentes pariter ac innocentes stigmate tali diabolico notari posse, diuina prouidentia, Iustitia, ex omni rationi contrarium est. 2. Quod hinc deducant quod diabolus non possit delere stigma semel impressum. Quia potest, ait eadem de Sains apud eundem, carnem à seipso mortificare, sed mortuam vivificare non potest. Quia hoc esset miraculosum. 3. Quod putent esse signum signorum & quidem omnium, certissimum ac euidentissimum, quod aliquis sit magus, si acu pungitur, & sanguis ei non fluit. Et quia à posteriore tanquam à necessario effectu ad causam suam, stigma per non fluxum sanguinis euidenter cognosci putatur, docent etiam huius probæ assertores quod diabolus facere non possit, quod mago quando stigma eius pungitur, sanguis fluat, non Mago autem si & is pungeretur, sanguis non fluat. Ita expreſſè eadem de Sains pag. 130. libri illius de tribus energumenis. Ait enim. Plus dico, ne quidem in Diaboli potestate est, acu pungere carnem alicuius, qui non seipsum tradidit, ac vendidit diabolo, absque lensu & sanguine. Hoc enim non cadit sub Dei prouidentiam, permittere diabolo. In hisce, ut dixi, punctis totum de proba stigmatica dogma consistere videtur. Quia itaque dogma hoc nouum est, atque inauditum in Ecclesia Dei, nec vlo Sacrae Scripturæ, nec Sanctorum Patrum testimonio corroboratum, falsum illud esse proclamo. Monet enim nos Apostolus Eph. 4.v.14. ut iam non simus parvuli fluctuantes & circumferamus omni vento doctrinæ, & Hebr. 13.v.9. ut doctrinæ varijs & peregrinis (qualis haud dubie hæc, quam oppugnamus est) non abducamur. Valetq; hic regula S. Irenæi l. 3. c. 4. Si de aliqua modica questione disputatio orta fuerit, nonne oportebit ad antiquissimas recurrere Ecclesiæ, & ab eis sumere de presenti questione, quod certum & liquidum est? & illa Tertulliani de prescript. cap. 21. id tenendum, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam vero omnem doctrinam docet de mendacio praividicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum & Apostolorum, & illa cap. 31. tradita. Ex ipso ordine monstratur id esse Dominicum, & verum, quod sic prius traditum, id autem extraneum esse, quod sit posterior immisum. Et illa Vincentij Lirinensis. Seruanda est antiquitas, explodenda nouitas. Vide, si placet Illustriss. Cardinalem Bellarmin. de notis Ecclesiæ cap. 5. Thomam Bozium de signis Ecclesiæ tom. 1. lib. 3. cap. 2. & 3. Iudocum Coccum in Thesauro, & alios passim. Proprius autem

PROBÆ STIGMATICÆ.

autem ad rem nostram, è recentioribus, videri ut ille ab Ostermanno poterit
Martinus Delrio, qui nullo solidiore arguento contra probam supra aquam,
eiusque defensorem Rickium meo iudicio triumphauit, quam eo, quod de-
sumpsit ex Capitulo illo consuluit, & verbis Stephani V. cum tamen, nec hæc
proba expresso Canone reprobata reperiatur.

C A P V T II.

An Proba hæc sit inter vulgares probas adnumeranda.

Affirmatiuam partem affero, & probo hac ratione. Quæcumq; proba nullo
Canone, nec lege vlla nititur, adeo q; nec Canonica nec legalis est, merito
vulgaris reputatur. Atqui proba hæc nullo Canone, nec lege vlla nititur, adeo
que nec Canonica nec legalis est, ergo merito vulgaris reputatur. Minorē pro-
bo ex eo, vt puto euidenter, quod Clariss. D. Petr. Osterman. Iur. vtriusq; Doct.
ac Professor, qui proinde Canones, ac leges quotidie versat atq; reuerlat, & in
legibus, & Canonibus sepultus, vt ita dicam, est totus, nullum Canonom, nec
legem vllā pro proba ista, quam adeo operosè propugnare contendit, attulerit,
nec adhuc adferre posst, vt parebit Scopum Controversiæ nostræ, & librum
Ostermanni accuratè legenti: Maiorem probo ex isto viro quem pag. 97. idem
Ostermannus plenissimè laudauit. Ait. n. ex alioquodam Iurisconsil. quod vnuis
Martin. Delrio (nam is vir ille est, ex quo maiorem illam probare desumpsi) sit
Sanctus, & Theologus Clarissimus, qui disquisitionum magicarum libris omnia, quæ ad hunc
tractatu pertinent, adeò diligenter persecutus est, & accommodatè ad precepta fidei, vsumq; fo-
rensem, vt neg₃ copiosius neg₃ ornatus, neg₃ eruditius quidquā scribi potuerit. Dignū plane opus
tanto viro non minus pietatis quam eruditio[n]is fama conspicuo, &c. Quod testimonium
verum est. Quo modo autem idem hoc testimonium consistat cū eo quod dia-
bolus eundem laudatissimum virum, ac de repub. Christiana optimè meritum
in synagogis suis deriserit sacerdos, quasi de Magia friuola, & falsa nimis scripsi-
set, item cum eo quod Maria de Sains eūdem Delrionē ac Rinsfeldiū indignos
volet, qui doctorum nomine exornentur, quodq; dicti Doctores de rebus sibi
ignotis locuti fuerint ex proprio iudicio, & multa friuola nugatoria dixerint,
viderit Osterman. qui librū suū testimonij Mar. de Sains, aliorumq; portento-
sissimorū hominū ad veritatis, & Iustitiae (si dijs placet) defensionem, nō exor-
nauit, sed fedauit, cū tamen testimonia diaboli, & sagarum clarissimū huius viri
nomē apud prudētes nunquā obscurare poterunt. Seu iudicū quippe prædictū
virū Belgij, Societatis illius illustriss. ac sanctiss. ac totius Ecclesiæ fulgentissimū
fuisse iubar, actā bene de diuinis, humanisq; scientijs fuisse promeritum, vt no-
men eius per totum orbem futurū sit celeberrimum, quamdiu erunt, qui studia
ac lit-

CONFUTATIO

ac litteras amabunt; demum, quia ad Iustitiam erudit multos, quod per totam
 æternitatē splendescet sicuti stellæ, quæ sunt in firmamento cœli: ita enim pro-
 missum est diuinitus. Dan. 12. Ex hoc itaq; viro, ut ad propositum redeam, sumo
 propositionem illam mihi probandam. Nam l. 4. c. 4. quæst. 5. secl. 3. oppugnans
 probam supra aquam argumentatur in hunc modum. Proba aquæ frigidæ (ita
 enim probam illam vocat) est vulgaris probatio, quia non est Canonica neque legalis de-
 est certè huic enthymemati, vel quasi enthymemati propositio illa maior quæ
 probandam suscepit, neceius contrarium idem author dicit in initio questionis
 citatæ. Quod autem Ostermannus aliquanto clarius, quam Délrio dicit, quod
 vulgares probæ sint iudicariæ disquisitiones, quibus fortuito euentui veritas
 culpæ, vel innocentia decidenda relinquitur, etiam huic probæ aptè conuen-
 nit. Nam planè fortuitum est, quod aliuscuius innocentia vel culpa per hanc pro-
 bam detegatur. Nam si ea persona, quæ de crimine Magiæ suspecta est, & acu-
 pungitur, ex nimia consternatione, & grauissimo metu, quo forte maior non
 datur in hac vita sanguinem non emitit, & quasi insensata est, ut ihs etiam con-
 tingit quandoque, quibus vena à Chirurgis inciditur, vel si dæmon, quod fa-
 cillime potest, & libertissime facit, sanguinem cohibet; vel si carnifex; vel quis
 aliis fraudem interprobandum facit, vel etiam si dæmon carnem ita mortili-
 cauit, ut sanguis per puncturam fluere non possit, Saga presumitur continuo
 & tam diu torquetur, donec questionibus ac morti succumbat, & hoc secundum
 principia Mariae de Sains, & Ostermanni optimè. Est enim secundum eos
 iste nō fluxus sanguinis infallibile signum, & quidem signum signorum, quod
 ista persona sit saga. Si autem sanguis illi personæ, dum pungitur fluit, iusta pre-
 sumitur, ac facile dimittitur. Sicuti enim (docet eadem Maria de Sains) non est
 inuenire hominem baptizatum sine charæctere Christi, ita impossibile est in-
 ueniri Sagam aliquam, quæ non est stigmatizata. Quid autem est mihi Oster-
 manne fortuito euentui & quidem in re ista grauissima expositum esse, si hoc
 non est?

Nec verum est quod Ostermannus dicit pag. 84. quod proba super aquam
 facta fuerit per vulgus, aut quod vulgus in ea intenderit probare innocentiam
 vel culpar hominis &c. si vulgus à Iudicibus distinguit, quasi Iudices istam
 probam non exercuerint. Nam Iudices eam, per carnificem fieri ordinariè de-
 mandarunt: nec refert quod vulgus maximo, frequentissimoque numero ad
 probam illam conspiciendam concurrere consuecerit. Etenim & Israëlitis vt
 patet Deut. 21. 19. Iosuæ 20. 4. Ruth 4. 2. Reg. 15. v. 2. Prou. 22. v. 22. alijsque ori-
 entalibus populis in vsu fuit in Portis Ciuitatum suarum iudicia exercere, ut ab
 omnibus Iudices, & ea, quæ agebant viderentur, audiarenturque. Ac ipsis quidem
 Deus coram omnibus rationabilibus creaturis in die suo iudicii faciet, in quo
 etiam

PROBÆ STIGMATICÆ.

9

etiam peccata remissa in discussione adducet, ut iudicium illud omni ex parte sit perfectum, secundum Scotum & alios. Censetur itaque tam hæc proba, quam illa supra aquam vulgaris, quod tametsi à Iudicibus usurpatæ sint, non tamen secundum Canones, ac leges sint usurpatæ, immo suspicatur Binsfeldius, quod primus qui probam supra aquam usurpauit, Iudex aliquis fuerit, qui cum persona aliqua, quam ceperat, non ita ut volebat pergere poterat, expressum pactum cum dæmonie quoad probam supra aquam iniit, quam dein alij vicini Iudices sunt imitati.

2. Omnes tituli quibus Pontifices alias vulgares probas indigetarunt, huic etiam probæ benè conueniunt. Nullo enim *documento Sanctorum Patrum sancte* est. Cap. consuluisti.

Esteriam fabricatio & inuentio inuidiae, cum sit inuentum dæmonis, cuius inuidia mors in orbem terrarum intravit. Sap. 2.24. Est (vti vocatur proba aquæ frigidæ cap. Menna 2. q. 5.) peregrinum iudicium nempè à moribus Ecclesiæ. Est inutilis. Quia sine hac proba Iudices contra grauissimum hoc crimen multo tutius & certius procederent. demum est institutum dæmonis, quod magi ac Sagæ diuulgarunt, nonnulli autem non secundum scientiam ambulantes Iudices in Praxin reduxerunt. Cæterum in progressu patebit quod in hac etiam proba tentatio Dei interueniat. Quid ergo est cur vulgaris non sit, & vt vulgaris ab omnibus non sit reprobanda. Tametsi de essentia vulgaris probæ non videatur esse, quod in ea expressa tentatio Dei interueniat.

Satis quippe videtur quod non sit Canonica neque legalis, ut patet in duello, quod aliquis ad innocentiam suam detegendam sine ullo respectu ad Dei prouidentiam committere potest, quia ita vult, aut quia vult experiri vires suas quantum naturaliter potest. Nam in hoc casu duellum hoc esset proba vulgaris, quia esset illegitimum medium, per quod innocentia probaretur.

C A P V T III.

*Num Iudices per stigmata probando seipso diabolice delusioni exponant,
& num per istam probam iustis, ac innocentibus calumniam struere possit diabolus.*

VT à posteriore huius Capituli quæsto incipiam. Respondeo & dico. Per probam hanc Diabolo amplissima datur occasio, ut etiam iustis, atque innocentibus calumniam struat. ergo est abroganda, nec sine grauissimo periculo tam Iudicium quam reorum usurpatur. Consequentia probatur. Quia hoc portissimum nomine proba supra aquam, quam multi Iudices in Germania ante-

B

hac

hac multum sunt vici, viris doctis merito suspecta fuit, ut inter cæteros expresse docet Lessius de Iust. & Iure l.2.c.29.dub.17. num.167. & ratio est. Quia diabolus, qui accusator est fratrum, quiq; etiam innocentissimos quosque apud DEVM iugiter accusat, aut calumniatur ut patet ex historia S. Iob, & qui præ sua irâ in nos magna magis gaudet, si innocentes opprimantur, quam si nocentes plecantur, magi præfertim, quorum rarissima est pœnitentia, rebus suis inuigilat, omnemq; nocendi occasionem inuestigat adeo, ut certum sit, quod omnis illi calumniandi occasio, quoad eius fieri potest, sit prescindenda. Necenim sine causa monet suos Ephesios omnesque Christianos Apostolus hisce verbis cap.6.v.13. *Induite vos armaturam Dei, ut possitisflare aduersum infidias Diaboli.* Nam diabolus non solum fortis admodum est, sed callidissimus etiam, ideoq; perfectissime illi conuenit nota, quam in Duce belli requirit Vegetius. nimis ut bellii dux callidior sit, quam fortior, vt hostem sine suo periculo perdat per insidias. Quare sicuti Romani magis sibi timuerunt ab astu, quam fortitudine Annibalis, ita nos etiam aduersarium nostrum magis timere debemus, quod callidus, quam quod fortis sit. Hinc verissime de eo S. Leo serm.7.de natali Domini. *Omnium discutit, ait, consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi querit causas nocendi, ubique videbit curiosus occupari.* Et Apostolorum vertex Petrus monet ut diabolo fortis resistamus in fide, circuit enim tanquam Leo rugiens quarens quem devoret. 1.Pet.5. Quia etiam de causa, nimirum, ut fortitudo eius, ac calliditas nobis indicetur vocatur à Sancto Ioanne in Apoc. cap.12.v.3. draco rufus. Denique Sanctus Cyprianus tract.3. de simplicitate Prælatorum astutiam diaboli hisce describit verbis. *Diabolus, ait, dictus est serpens:* quia cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens occultis accessibus serpit (vnde nomen serpentis accedit) ea est eius astutia, ea circumueniendi hominis cœca, & latebrofa fallacia, ut afferere videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem pro obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi; ut dum verisimilia mētitur, veritatem subtilitate frustretur. Nam figurat se in Angelum lucis. Cæterum nobis, ad quos fines sæculorum deuenerunt, & qui in senescente, atq; ad interitum vergente mundo viuimus, & qui non multis artibus ab extremo iudicij die absimus, ut haud improbabiliter ex multis conieatur afferit R. dus admodum, ac sapientissimus meus magister Cornel. à Lapide Apoc.20.v.4. dæmonis astutia singulariter metuenda est. Cum circa ultima tempora diabolus, qui ante ligatus dicebatur, dissoluetur, multoq; ardentius, ac callidius homines oppugnaturus est, quam nunquam alias.

Antecedens quod scilicet dæmoni amplissima detur occasio innocentibus calumniam struendi probatur. Nam sicuti diabolus cuiuscunq; hominis supra aquam proiecti corpus submergere, aut etiam ne submergatur sustinere potest,

itx

PROBÆ STIGMATICÆ.

11

ita nemini vel mediocriter Philosopho dubium esse potest, quin diabolus est carne quauis, quando ea acu pungitur, sanguinem elicere possit, vel quin facere possit, ut sanguis ex ea non eliciatur. Nam, ut ponamus carnem mortificatissimam, & instar lapidis induratam, vel in qua non plus sanguinis est, quam in lapide aliquo, potest nihilominus ex ea quando pungitur, sanguinem hac ratione elicere præstigiator, quod scilicet per subtilissimum motum suum, quo præualet, ac mita sua, ut plurimum facit, sanguinem aliundè adferat, & in carne mortificata, & acu punctuata ponat, adeoque sanguinem inde faciat emanare. Ita superioribus annis in conspectu religiosissimæ Ciuitat. Coloniensis, ac in templo Dei sanguinem fecit fluere è lignea Cruce ad vera Christi Domini, & Ecclesiæ miracula obscuranda, quale exempli causa fuit illud, quod narrat Cardinalis Baron. tom. 9. ann. 787. n. 22. & sequent. nimis cum illusissent, crucifixissentq; & lancea punxissent Imaginem Salvatoris nostri Iesu Christi Indæ in Ciuitate Beristensi, continuò ex ea tanta manauit copia sanguinis & aquæ, ut Orientales & Occidentales Ecclesiæ ex eo vberitatem lumpserint, & sanguis ille aduersus omnium morborum genera fuerit præsentissimum remedium.

Hac quoq; ratione lac, quod eiusdem cum sanguine est substantię, è parietibus, educit, illudq; mulierculæ parietem inungenti tribuit, quod ex alijs vaccis à pariete distantibus emulget, ut Sagæ largiatur. Narrat huic rei lepidum exemplum Delrio l. 3. p. 1. q. 4. sect. 3. quod maioris claritatis gratia hic adscribam. Quædam, inquit, verula dierum malarum plena volens ex inuidia impedire lac vaccæ vicini sui, accepit cultellum pergens ad ostium domus, in qua fuit vacca, & ponens se contra splendorem lunæ dixit

Hier sneijde ic een spaen in molleken gebaen

End een ander daer toe/soo nehme ic die melck van dese toe.

Hæc verba audiens vaccæ Dominus arripuit fustem, & curreas post eam atq; percutiens aiebat

Hier staen ic eenen stach end eenen anderen als ic maech

End den derden dar toe soo behonde ic d' melck metter toe.

Hæc quoque dæmonis potentia Apollonius cum esset in conspectu Domitiani Imperatoris repente ex oculis omnium excessisse, & longè alibi extitisse fertur.

Similiter sanguinem in carne quauis, tametsi ea sanguine sit plenissima, collibere potest, ne fluat, sanguinem inuisibiliter auferendo, vel eum ut maiorem dolorem inurat, condensando. Brebrana Laodenensis refert Delrio solis minis vbera vicina mulieris sic exsiccauit, ut ad obitum usque Sagæ, quamvis multos pepererit, late semper caruerit. Huc pertinet dæmonis nequitia, qua ætus Coniugales varijs modis impedit. Nam interdum vim seminalem

B 2

quasi

C O N F U T A T I O

quasi in radice auffert, vt nullus appetitus maneat auctum illum exercendi, aliquando etiam spiritus seminales impedit, facitque ne seminis decisio fiat etiam in ipso feroore actus, aliquando virgam viri flaccidam facit, aliosq; habet modos suam istam nequitiam exercendi, quos ponit saepenominatus Delrio. Nec huic, quod intendo absimile est, quod Tuscio vestalis, quosnam probaret pudicitiam, aquam è Tyberi haustam cribro tulerit usque ad Capitolium referente Plinio l. 28. c. 2.

2. Ut Benedicti Pererij disp. 3. in cap. 7. Exodi vestigis insistam, valet dæmon summâ quadam solertia naturali & summa scientia rerum naturalium, quam longissima experientia mirum in modum adauxit. Quare exinde occultas rerum naturalium facultates, & virtutes carumque inter se sympathiam, & antipathiam noscendo, & applicando aetiuia passiuis mira, & noua tuu per se, tuu etiam per Magos suos quotidiè facere, si velit potest. Hinc falsum omnino est, vnum est supra relatis sophisticis principijs Mariæ de Sains dicens diabolum, non posse carnem ab ipso mortificatam denuò vivificare, quia vivificatio foret miraculosa. Nam licet dæmon integrum hominis demortui corpus vivificare non possit, illudque animæ rationali reunire, potest tamen particulam carnis mortificatae, & carni sanæ continuam, aut contiguam vivificare, particulam scilicet carnis mortificatae extrahendo & sanam carnem superinducendo, vel etiam ipsam carnem mortificatam relinquendo, aut non extrahendo, & paulatim eam, imo quasi in instanti ad sanæ carnis dispositionem disponendo, quale miraculum Chyrgi nostri quotidie facere conantur.

Quamobrem cum certum sit, quod multæ herbæ, lapides, aliæque res naturales sanguinem sistendi virtutem habeant, cuius exempla habes apud Ostermannum pag. 71. quibus à me alia super addi possent, tum ex Plinio, apud quæ multa inuenies sanguinem sistentia, tum aliundè, dubium non est, quin diabolo omnes istæ virtutes sint notissimæ, & quod per illasmet sanguinem, si velit, in eo, qui pungitur, sistere possit, voramini scilicet, quod perforatum est, unam ex illis virtutibus applicando, itaque sanguinem sistendo. Iterum potest idem dæmon, si velit, omnium rerum figuras mutare, easq; exhibere præstigiosè, non fecus, ac si res re ipsa existarent, quid ergo illi facilius quam circumstantem aërem sanguineo aliquo colore imbibere, ac eum carni mortificatae, in qua sanguis non est, vel non esse præsupponitur, apponere, vt videatur Iudicibus emanationem, vel non emanationem sanguinis exspectantibus, atque obleruantibus, sanguis fluere, qui verè non fluit. Et verò nescio an dignè circa saluificam fidem nostram sentiret, qui diceret quod diabolus ista duo quoad cohibitatem, & fluxum sanguinis omnino à stigmate independenter non possit facere. Nam maiora sunt, aut minus factibilia quæ sacra scriptura, Patres, Theologi, ac exp-

experiencia, diabolica potestati tribuunt. Verè in libro Iob cap. 41. v. 24. de Diabolo dicitur. *Non est potestas supra terram, qua comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeat.*

Dicere autem, quod dicere debet, si sibi constate velit Ostermannus, quod diabolus semper à Deo cohibeatur, ne circa Magos, & non Magos stropham istam exerceat, iudicibusque hoc modo imponat, & innocentibus, quod maximè intendit, calumniam faciat; voluntarium est planè, nec villa Dei promissione nixum, nec traditione acceptum, ergo idem illud cādē facilitate iuxta scholæ consuetudinem rejicitur, quā affterit, maximè cum idem tam de proba supra aquam, quam alijs iam antiquatis dici potuisset, prout etiam dictum fuit, vt patet in Rickio.

2. Contra hanc euasionem, quæ tamen contrariæ sententiæ fundamentum, & basis est argumentor ex ipso Ostermanno. Nam in fine terriæ suæ Astrologiaæ hæc habet. *Dicere autem quod Deus hoc non permittat in strigibus (quod scilicet stigmatizentur à Diabolo) est loqui sine ratione. Cum Deus multo maiora permisit, exigente hic malitia non timendum eum, prout fuit Angelorum irreparabilis casus, & primorum parentum, inquit totius humani generis exitialis ruma.* Argumentor enim pari modo. Deus iusto, & inscrutabili suo Iudicio permisit ruinam Angelorum, è quâ nunquam sunt reparati, nec in æternum reparabuntur, permisit etiam lapsum primorum nostrorum parentum, & in eo totius generis humani, dimisit quoque Deus in præteritis generationibus omnes gentes ingredi vias suas, vt ait S. Paulus Act. 14. v. 15. Omnia etiam sub peccato conclusit, vt omnium miseretur.

Deniq; plurimos Iudices circa vulgares illas probas, & maximè Patrum nostrorum memoria, circa probam supra aquam permisit à diabolo illudi, annon ergo est mihi Ostermann loqui sine ratione, quod Deus subinde non permittat, hinc indè aliquos Iudices (qui Moysen, & Prophetas habent, quos in re grauiſſimi momenti & quæ ordinarie ipsorum excedit intellectum, consulere deberent & tenentur, ideoque hoc non faciant ex affectata ignorātia peccant, quoties peccant & suā propriā eluduntur voluntate, quoties deluduntur) in proba ista stigmatica deludi, quod diabolo facillimum, & lubētissimum est? quis hoc nisi temerarius & sine ratione loquens affirmarit? maximè cum circa electos suos subinde Deus grauiora vel æquè grauiæ, quam talis calumnia alicui non mago strueretur, diabolo facere permittat, vt patet ex historia S. Iob, & SS. Martyrum, quorum multi non alij quam proditores, benefici, ac omnium bipedum pessimi ab insaniente mundo sunt passim habiti, rametsi coram Deo fuerint innocentissimi, eorumque innocentia perfectissimè tandem vniuerso mundo testificanda sit in illâ die, in qua laus erit vnicuique à Domino, & in

CONFUTATIO

qua reuelabuntur abscondita tenebrarum, sed de hac Dei permissione pō stitem redibit sermo.

3. Mereri videntur Iudices, qui res à diabolō institutas adeo accuratē obseruant, atque explorant, vt à Deo relinquantur, ac illusionibus diabolicis illudendi tradantur. Sumo hoc ex S. Augustino lib. 2. de doctrina Christiana l. 22. in fine & c. 23. in initio. Vbi contra vanas diuinationes differens ait. *Iste opinione quibusdam rerum signis humana presumptione institutis, ad eadem illa, quasi quedam cum Daemonibus pacta, referende sunt. Hinc enim fit, vt occulto quodam Iudicio diuino, cupidi malorum rerum homines tradantur illudendi, & decipiendi, pro merito voluptatum suarum illudentibus eos, atq; decipientibus Angelis, quibus ista pars mundi infima secundum pulcherrimum ordinem rerum, diuina prouidentia legè subiecta est. Quibus illusionibus, & deceptionibus euexit, vt istis superstitionis, & periculis diuinationum generibus, multa præterita, ac futura dicantur, neq; aliter accidant, quam dicuntur, multaq; obseruantibus secundum obseruationem euenant, quibus implicati curiosiores fiant, & se se magis, magisq; inferant, multiplicibus laqueis perniciissimi erroris.* Citat hæc S. Augustini verba Gregorius de Valentia 2. 2. disput. 6. qu. 12. puncto 2. vt probet, quod diabolus ex peruersitate voluntatis suæ, & studio nocendi hominibus, eosque simplicandi vanitate, cùm aduertit aliquem eiusmodi vanitatibus deditum, illico eis se se imminiceat &c. Additq; de Valentia hanc esse, vt reuera est, doctrinam S. Thomæ, & aliorum Theologorum, quos ex parte citare possem, & qui ex parte citantur à Sanchez in decal. 1. 2. c. 38. n. 4. Ergo cum stigma, vt supponitur, institutum sit à dæmonie, & quidē ad hoc, vt per eius explorationem Magi à non magis dignoscantur, quid mirū, quod isti explorationi suæ more suo dæmon se se imminiceat, ac exploratores illos miserè subinde, vel etiam sapè deludat. Nec enim aliud quidpiam ab eius peruersissimo ingenio expectandum. Erat enim, vt refert Saluator noster Ioan. 8. v. 44. *Homicida ab initio, & in veritate non fletit, quia non est veritas in eo, cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est & Pater eius.*

Hinc, vt excludatur quedam euasio, quam aliquis ex Ostermanno pag. 88. prætendere posset, sequitur, quod non ille, qui hac proba probatur, & cui sanguis non fluit, probare debeat, quod fraus dæboli permittente Deo inter probandum interueniat, sed quod probare teneantur probatores ipsimet, fraudem illam non interuenire in proba ista. Nam, vt patet ex dictis, communis regula est Doctorum quod diabolus signis ab ipso institutis se se imminiceat, & quod homines ista obseruantes, & secundum ea diuinantes ordinariè à diabolo illudantur & multiplicibus laqueis perniciissimi erroris implicantur. Ergo cum stigma institutum sit à diabolo, & quidem, ad hoc vt per eius non fluat sanguinis Magi à non Magis diuinando cognoscantur, delusionem, fraudem dæmonis hic interuenire credendum est, vel si dicas hic & nunc eam non

non interuenire, necesse est, ut hanc contra communem regulam exceptionem probes.

Nam ut exceptio firmat regulam, ita & ille, qui exceptionem, aut priuilegium aliquod contra communem regulam prætendit, exceptionem, aut priuilegium probare tenetur, ut aliquanto facilius, promptiusque quam ego, Ostermannus, credo probauerit. Quod verò ad infensationem attinet, potest etiam hanc dæmon causare in corpore alicuius qui Magus non est, cum corpus non magi tam aptum sit ad illam infensationem, quā corpus magi, potest enim dæmon hanc infensationem facere independenter à stigmate impresso. Patet 1. in illis qui tacito vel expresso pacto cum ipso nitentes non laeduntur, etiam si à glandibus bombardarū vehementissime impetantur, quē sanè infensatio multo videtur esse mirabilior, quam illa, quæ sit in particula aliquā carnis quæ acupungitur. 2. Patet in Ioanne Vaux stabulensi. Nam quando dorsum eius perforabatur in signo stigmatico, nihil sentiebat, nec quicquam querebatur, si verò à tergo ita, ut videre ipse nequirit, eminus signo illius catelli minuteris dígito erecto, tanquam si acriter torqueretur, reus subito torqueri consueuerat. Refert ex Delrione Ostermannus pag. 30. Ex quo etiam posito signo isto stigmatico, sensationem à diabolo fieri potuisse euidentis est, quem sanè acus in carnem immissa ab ista sensatione facienda minimè impedire potuisset. Nam diabolus multo subtilius carnem sanam, quæ mortificatae continua est, intrare & pungere potest quam acus quævis. 3. Patet. Quoniam potest, dum punctura fit, aciculam aliò, quam in corpus aut stigma diuerttere, idque subtilissimè, ad eum ferè modum, quò multi histriones similes ludificationes etiam absq; dæmonis interuentu facere consueuerunt. Ergo, ut summatim dicam, proba hæc videtur intolerabilis hoc ipso, quod varijs modis fraus dæmonis in ea interuenire possit, & quod vix dubium sit, quin fraus ista sèpè interueniat cum malitiosissimum sit diaboli ingenium & voluntas peruersissima eius. Taceo quod ille, qui actu pungit, & explorationem experitur facile, etiam posito quod bonus ille vir sit, vel minus profundè pungat, vel certè ad partem, quæ sana est, aliquantulum acu declinet. Quò quidem è tribus illis energumenis refugit. Nam postquam ea stigma suum ostendisset, nec ex eo quando pungebatur sanguis emanasset, dixit quod nimis profundè acus descendisset. Ali; etiam sunt modi quibus dæmon fraudem istam facere potest, à quibus enarrandis supersedeo, cùm hæc quæ dicta sunt, abundè sufficere videantur, ad probandum quod
 æque facile in hac proba quam in proba supra aquam
 fraus dæmonis interuenire possit.

(•)

CAPVT

8

CONFUTATIO

CAPVT IV.

*An ex eo reprobanda sit proba hec, quod tacitum cum diabolo
paetum in ea interueniat, & ex eo quod su-
persticiofa sit diuinatio.*

PACTUM, ut omnes credo docent Theologi, quod in superstitione diuinatio-
ne homo cum dæmoni habet, duplex est, Expressum, & tacitum. Illud cō-
mittitur, quando expressis verbis dæmon inuocatur, cūm eoue paetum initur,
aut quando ipsomet factō ista fiunt. Tacitum est, quando quis, vanis, & indebi-
tis medijs aliquid cognoscere adlaborat, etiamsi præter hominis intentionem
dæmon inuocetur, & etiamsi homo expressa voluntate dæmonis openi implo-
rare nolit. Nam vt latius deducit Suarez, & breuius comprehendit Sanchez
non repugnat, quod per ignorantiam crassam homo velit duo contraria, vnum
scilicet in se formaliter, & alterum implicitè, ac in alio. Quamuis enim vtens
his vanis dicat explicitè se nolle paetum cum dæmoni, vult de factō tacitum.
Quia vult vt illis medijs ex se inutilibus, & vanis ad eam rem quasi illa vtilia
sint, cūm tamen vtilitate habere nequeant nisi dæmonis interuentu. Ita San-
chez l.2.in decalog. c.38.num.4. Nauarrus autem magis generice tacitum cum
dæmoni paetum ita describit in summa c.11.nu.25. Tacita inuocatio toties fit,
quoties aliquis emititur efficere aliquid per causas, quæ nec virtute sua naturali,
neq; ex diuina, aut Ecclesiastica dispositione possunt illud efficere, vel quando
huiusmodi causæ tanquam necessariae adiunguntur alijs, quæ possunt talem
effectum producere. His positis.

Dico. Omnino videri in hac proba tacitum cum dæmoni paetum interue-
nire, & superstitione diuinationem in eā committi. Quo paulatim hanc con-
clusionem probem argumentor sic. Qui vtuntur re à diabolo instituta in ordi-
ne ad effectum à diabolo consequendum, nituntur ad minimum tacito pacto
cum dæmoni. Atqui probatores illi vtuntur re à diabolo instituta in ordine ad
effectum à diabolo consequendum. ergo nituntur ad minimum tacito pacto
cum dæmoni. Maior adeo certa est, vt etiam is, qui diuinissima Eucharistia vti-
tur in ordine ad effectum à diabolo consequendum, quod magi sceleratissime
sæpe faciunt, tacito, si non expresso, pacto cum dæmoni nitatur, cūm quo om-
nis qualisunque communicatio sub pœnâ æternæ mortis nobis est prohibita.
Est enim ille abiuratus hostis Dei, & omnium Christianorum.

Hinc nec aliter cum illo agendum, & ne colloquendum quidem, quam cum
inimico nostro ait conformiter factō Salvatoris nostri, Luc.4.v.35. & Marci 1.
v.25. Nauarr.c.11. n.28. Minor quoad priorem partem probatur. Nam vtuntur

stigma-

stigmate quod diabolus, ut supponitur fecit, cuius stigmatis quidditas, qualitas positio, ac non positio, cōseruatio, aut permanentia à solius diaboli (nō excludo concursum Dei vniuersalem) pendet voluntate, cum in eius voluntate, ac potestate sit morale, vel physicum signum ponere, hoc vel illo modo istud qualificare, durum vel molle, per quod scilicet sanguis fluere, vel non fluere possit, efficere. Quæ omnia certa sunt, cū nihil eorū, diaboli potestat ē effugiat, nec ille à superiori potestate, quantum scire possumus, cogatur, ut hoc vel isto modo faciat.

Effectus autem (ut secundam partem minoris probem) huius probationis est ut mago, quando pungitur, sanguis non fluat, non mago autem fluat. & ut sic Index in magi, ac non magi cognitionem deueniat. Atqui effectus iste non est à Deo, cuius hac in re institutio voluntasque minime ostendi potest, nec est à natura rei, ergo est, vel speratur à dæmone.

Dicit Ostermannus hunc effectum, nimirum quod sanguis in ista proba non fluat, esse stigmati connaturale, adeoque effectum hunc eundem esse à naturā mediante stigmate. sed contra est primò quod hoc plane voluntariè afferatur, cum stigmatis natura necdum explorata sit, nec explorari possit. Ratio est. Quia, ut dixi, physicum vel morale signum à diabolo poni potest, illudque quomodo curaque positum, potest ad nutum à diabolo auferri, vel si tale non ponat, quod ad nutum ab eo non sit auferibile, facit hoc, quia ita vult. Ergo sicuti in cognitionem rei venire non possum, quæ in momento mutari potest, quæque in tota sua entitate, ac qualitate ab hominis vafri pendet arbitrio, maximè si ea res ab alijs rebus quoad exteriorem formam non distinguitur, ita multo minus venire possum in quidditatiam ac scientificam stigmatis cognitionem, quod à vaferrimo, ac inconstantissimo depender diabolo, & quod ab alijs nœuis, ac impetigene corporis non distinguitur quoad exteriorem formam, quod de stigmate affirmat Binsfeldius, imo ipsa Maria de saintis huius stigmatici dogmatis primaria diuulgatrix. Nam pag. 127. istius libri reprehendi posse stigmata aiebat propter notam rubeam, alia propter notam nigrum, alia propter concavitatem carnis. sed quis quæso est, qui alicubi in corpore suo carnis aliquam concavitatem, vel notulam aliquam rubeam vel nigrum non habet? ut proinde (si recte memini) bene dixerit Binsfeldius, in corpore cuiuscunque hominis, si illud diligenter exploretur, similes nœuos reperiri posse.

Glossa leg. stipulata § hæc quoque ff. de ver b. obligat. prorupit in hæc verba. Possessionem peritissimi aucti nō sunt definire. Rationem: huius rei (quod scilicet possessio definiri non possit) arbitror esse, ait Ludo. Molina tom. i. de Iustitia disp. 12, n. 2. quod ex statutis, hominumque beneplacito pendeat quis possidere, aut non possidere sit censendus

CONFVTATIO

sendus, eaque ratione possessio tanquam quippiam inconstans, minimeq; certam ac inuariatam habens naturam difficile posse definiri, quare mirandum non est, si nulla ex definitionibus hactenus excitatatis plene satisfaciat. Quis ergo definierit, & scientificè cognoverit id, quod non alium authorem habet, quam nequissimam, & inconstantissimam diabolorum voluntatem, institutumque, & quod nec exteriore certam habet formam, per quam ab alijs rebus distinguitur?

Contra est 2. quod positâ illâ stigmatis connaturalitate (quod scilicet sanguinem ne fluat cohibere possit) nihilominus possit diabolus calumniam, strophâq; suâ circa Magos ac nô magos facere vt patet ex superiore capite. Et certe si in isto suo stigmate semper sincere ageret, Diab. primū illud foret sinceritatis illius, qui alioquin fraudulentissimus est, opus, quod ego etiam Diabolus, eiusque discipula Maria de Sains & id genus probrosissimum hominum infinita quasi colluuius iuratis verbis assererent, credere non possem. Hinc etiâ, quia diabolus vt dixi fraudulentissimus est, nunquam certus erit is, qui stigma explorat, num diabolus illud impresserit per modum habitus permanentis, an vero per modum actus transeuntis, & num tum duntaxat imprimat, vel impresserit, quando stigmatis sit exploratio. Sicuti etiam Iudeus nunquam certus erit an diabolus phantasticum, an vero vere physicum stigma impresserit, & nû physice an vero phantastice sanguine faciat fluere, vel non fluere. Nam pleraque ipsius opera sunt præstigiosa, gaudetque maxime vt spiritum mendacem decet signis, & prodigijs mendacibus, ob quam causam inter S. Patres, aliosq; Theologos needum constat, an opera quæ in exodo coram Pharaone per Magos suos fecit verè physica vel phantastica tantum opera fuerint.

Nec refert quod iam experientiâ aliqua docere videatur, quod Magis aut Sagis, dum punguntur sanguis sistatur. Nam & pro alijs probis, & maximè pro proba supra aquam similis, & forte maior experientia militauit, & nihil tamen unquam valuerunt. Et ad rem nostram accommodate ait Sanchez ubi supra, quod dæmon similes experientias procuret, vt eis homines decepti credant ea esse vtilia, & eis vtantur ad similes effectus comparandos. qui idem author infra n. II. ad huius iti dicti confirmationem magni hominis authores allegat. Alia itaque est, mi Ostermann, experientia, que scientiarum humanarum fundamentum est, de qua Philosophi à te citati affirmant, alia etiam de qua Iura, alia denique que operibus Diaboli, quale haud dubie stigma est, de quo agimus interimficeri consuevit; Hinc si attentè res consideretur, prothocolla quorum fidem implorat Ostermannus, nihil contra hanc nostram sententiam attestantur. Nam affirmant, ni fallor, duntaxat, quod Sage dum in stigmate punguntur, sanguis non fluat, ac etiam quod sèpè istam punctionem non sentiant, quod ego non negauero: an autē fraus aut præstigiū dæmonis, cuius opus illud quod pro-

PROBÆ STIGMATICÆ.

19

probatum est, in isto non fluxu sanguinis, adeoque totâ istâ probâ interueniat, nec ne, prothocolla non docent & docere non possunt, cum de hoc non ita diligens fiat inquisitio, & huius rei inquisitio ordinariè à Theologis, & pastoribus Ecclesiarum examinanda esset. Sicuti in proba illa supra aquam Prothocolla multarum regionum haud dubie testimonia plurima proferre poterunt, quod plurimæ Sagrarum aquis, supra quas illæ projiciebatur, supernataint, nec de hoc dubium erat probam istam procurantibus, ac spe&tantibus, an autem illa supernatatio Sagrarum facta sit, ut alicuius qualitatis à diabolo Sagaru corporibus impressæ, an vero immediate per Dæmonem, vel etiam num, & quando etiam non Sagis calumniam in ista proba fecerit, vel facere potuerit dæmō, Prothocolla eadem non affirmarunt, sed affirmarunt hoc Theologi mei, in legē Domini, & sacris Canonibus erudit.

Contra est 3. Quod ipsum stigmata quatenus res quædam physica est in corpore cuiuscunq; hominis à dæmonе poni possit, quia ad physicā illam entitatē suscipiendam corpus tam magi quam non magi æque est idoneum, nec ex parte voluntatis, potestatissimè dæmonis vlla potest dari repugnantia.

Fatetur Ostermannus pag. 86. argumentum hoc esse appartere speciosum, & ad eius vim eludendam viam præmunierat dicens. *Nocentes pariter ac innocentes, stigmata tali à diabolo notari posse, diuina prouidentia, iustitia & omni rationi esse contraria.* Quia autem ab Ostermanno non videtur, negari posse quod diabolus physicam potestatem habeat corpori alicuius non Sagæ entitatem illam physicam imprimendi, nam per hoc quod aliquis magus est, dæmonis physica potentia minime accrescit, omnino dictis Mariae de Sains conformiter dicere videtur Ostermannus, quod prouidentia, & iustitia diuinæ, ac omni rationi repugnaret, si Deus permitteret diabolo, quod corpus alicuius, qui magus aut maga, non est entitate illâ stigmatica physica insigniret.

Ego vero mi Ostermannine, affirmatè dico Deum non solum posse diabolo permettere absque omni iustitiae, ac prouidentiae iactura, vt is corporalicius qui magus non est entitatem physicam stigmaticam imprimat, sed etiā posse per se, ac etiam per bonos Angelos illam impressionem facere. Ut autem hoc rectè intelligatur, & vt omnis æquiuocatio tollatur, aduentendum est, stigma illud dupliciter considerari posse. Quatenus nuda res quædam physica est, substantia, vel accidentis. 2. quatenus signum est pacti inter dæmonem, & magum expresse initi. Hoc posteriore modo, fateor stigma esse non potest, nisi in mago & Saga. Implicaret enim contradictionem quod illa persona, in quâ taliter stigma inueniretur Saga non esset, ideoque hoc modo stigmatizatum esse grauius, & peius est multo, quam esse obfessum, & aliqua alia

C 2

gravissi-



CONFUTATIO

grauissima quadam miseria percussum. supponit enim ista stigmatizatio magiam, & paetum cum dæmone initum, & ex parte hominis grauissimum peccatum commisum, tametsi si homo ille postea ex toto corde ad Deum sese conuerteret, parum ad modum laborandum esset, quod stigma semel impressum in corpore illius, qui magus fuerat, & se iam conuertit, maneat, vel deleatur, cum stigmatis illius deletio non sit aliquid ad veram pœnitentiam requifitum, vnde nemo doctus, ac cordatus Theologus sollicitus esset, quod in illis, quorum confessiones audit, & qui sese conuertere presumunt, stigmata deleantur vel non deleantur, adeoque friuola valde & nugatoria, imo diabolica esse puto illa, quæ in libro de tribus Energumenis de delectione stigmatum traduntur. Stigma vero primo modo consideratum potest omnino Diabolus permittente Deo absque villa iustitiae, ac Prudentiae diuinæ iactura corpori alicuius, qui Magus autquæ maga non est, imprimere. Nec illius falsitatis, quænam per istam impressionem intenderet, cauaretque apud nonnullos dæmon, Deus author esset, cuius tamen contrarium sine villa ratione affirma Maria de Sains, sicuti eorum peccatorum, quæ indies homines, ac dæmones faciunt, Deus author non est, quæ tamen permittit.

Aduertendum præterea est, quod Deus saepe aliquid positiuè, ac efficienter faciat, quod in se bonum est, & illi cui fit ac etiā alijs valde vtile est ex intentione dei illud bonum dantis, quod tamen postea homini illi, cui datum est, cedit in ruinam, peccatum, ac æternam damnationem, ideo scilicet, quod homo inde sumat occasionem male agendi contra Deum, & proximum. Atque hic unus est ex modis illis, quibus Deus Pharaonem indurasse in Sacris litteris dicitur. Nam auxerat Deus populum Israheliticum in Ægypto constitutum mirum in modum, ut bene & curiose ponderat Bened. Perierius in Exod. c.r. Disputatione 1. Filii enim Israhel creuerunt, ac quasi germinantes multiplicati sunt ac roborati nimis impleuerunt terram. ait Scriptura. Quæ certe multiplicatio intenta fuit à deo direcťe, fuitque ea in se bona ac in primis Populo Israhelitico utilis, ac dein ipsis etiam Ægyptiis, si voluissent, utilis ac salutaris ea fuisset, quibus tamen hæc eadem multiplicatio fuit in ruinam, ac peccatum præter intentionem Dei. Nam inuidentes Ægyptij hanc multiplicationem Israhelitis, ex mandato Regis sui Israhelitas contra ius, ac fas durissimis operibus fecerunt inseruire, adeo ut Pharao hac ratione cor suum contra Deum ceperit indurare. decantat hoc Propheta Dauid Psalm. 104. v. 25. dum ait. Conuertit cor eorum, ut odirent Populum eius. nam præcesserat. Auxit Populum suum vehementer. Cui accessit quod Deus optimâ certe inductus ratione contra superbum, & proterium regem vsus sit patientia aliqua, & ab eo flagellum suum rogante Moysè interdum cohibuerit, ut scilicet Pharao patientia, & benignitatem

tatem Dei addisceret, tantoque facilius Moysen exaudiret, & populum Israheliticum tanto cito dimitteret : sumpsit tamen inde Pharaon occasionem contra Deum proterviendi, & populum durius tractandi. Videns Pharaon inquit Moyses Exod. 8. c. quod data esset requies, *ingrauauit cor suum & non audiuit eos sicut precepérat Dominus.* Ecce inquit Bellarmin: de amissione gratiae lib. 2. cap. 14. quomodo abutitur Pharaon Dei patientiam ad indurationem? Et rursus cap. 9. videns Pharaon quod cessasset pluia & grando. & tonitrua auxit peccatum, & *ingrauatum est cor illius & seruorum illius:* quia videlicet flagella Dei cessabant existimabat Pharaon iam nihil esse periculi, & tonitrua calu accidisse. Quin etiani Saluator noster multis hac ratione positus est in ruinam, & signum cui contradicetur; tametsi venerit querere quod perierat, & omnes saluos facere. vide præter alios Theologos Bened. perer. disp. 8. in cap. II. Exodi.

Eodem itaq; modo potest omnino Deus ex certa sibi nota causa absque vlla sua prouidentia lassione incorpore alicuius abstrahendo ab eo, quod Magus est, entitatem illam physicam, quam stigma vocant, imprimere. Res enim ista quatenus physica est, bona est, adeoque ab illo, quia omnipotens est, fieri potest & in corpore cuiuscunque hominis ab eodem deo ponii potest, cum omnium rerum absolutissimus sit dominus. Quod autem aliqui à dæmaone male persuasi homines hinc continuo dicent rem illam esse signum signorum, quod ille in quo ea inuenitur, sit magus, & ut talis punieandus, esset planè per accidens, essetque non deo, sed credulitati hominum adscribendum. Quare si & in hoc casu Deum iniustitiae argueret Ostermannus, nimis meo iudicio confidenter, atque audacter figmentum in suum insurgeret sigillum.

Sed instat Ostermannus latè pag. 87. & 88. Deus defacto non permittit, quod Diabolus aliquos qui magi non sunt in saltibus istis diabolicis repræsentet ergo nec illi permettit, quod alicui qui magus non est, talē rem physicam, quę stigma putatur imprimat. Resp. Hoc modo necdum probatum esse, quod Iustitia diuinæ aut prouidentia repugnet posse diabolum tam innocētibus, quā nocentibus stigma imprimere, quod tamen disertis verbis affirmarat Ostermannus, Secundo posito quod Deus nunquam Diabolo permitrat, qnod is aliquem, qui magus non est, in saltibus repræsentaret, quod docet etiā Delrio, & Binsfeld. attamen in arguento negatur consequentia. Nam ut Rickio obuiauit Delrio, à particulari ad particolare non valet illatio. Etenim ut graues Authores in materia de legibus tradunt, & ego me doctum memini, sicut in ijs, quę Iuris sunt positivi, non licet argumentari à pari, ita apari non licet argumentari in ijs, quę à solo Dei libero penderit arbitrio. Nam sicut posita in duobus casibus æquali necessitate, ac utilitate potest Legislator in hoc casu statuere illud, in altero casu aliud, vel nihil, cui ordinationi subdit se tenebuntur

CONFUTATIO

conformare. Nam voluntas legislatoris lege intimata est ratio obligans subditum, non autem necessitas, aut utilitas, quae ad legem aliquam ferendam legislatorem apta est inducere & quae ratio mouens legislatorem vocari solet. Ita potest Deus in hoc casu illud permettere, in alio autem illud non permettere, quia ita vult, tametsi Deo nunquam desint cause iustissimæ, cur hoc potius agat, vel etiam permittat, quam illud. Habens itaque Deus omnem diaboli potestatem quasi in manibus restrictam, ac ligatam, eam aliquando diabolo relaxat ad exercendos probos, ut aduersus Iob ea laxata est, aliquando vero ad castigandos malos, ut aduersus Regem Rechab, 3. Reg. 17 cap. Cum itaque hec res, de qua agitur, à miro pendet Dei arbitrio, ac eius voluntas in ipsis permissionibus, ac non permissionibus, descendendo ad particulares casus plane inscrutabilis & incognita nobis ut plurimum sit, vnde quæso habet Ostermannus, quod firmā, & immobili lege statuerit Deus, nunquam permettere diabolo, quod is entitatem illam physicam in corpore alicuius, qui Magus non est, imprimat. Edat loca S. Scripturæ, ac S. Patrum, & exillis solidas rationes deducat Ostermannus; & credemus ei: si minus, assertiones eius libertate nostra quâ schola nos donauit rei ciemus velut inania, & non subsistentia fabulationa. Quid quod nec Delrio, nec Binsfeldius satis probasse videantur, quod Deus nunquam permittat diabolo ut corpus illius qui magus non est in saltibus representet.

Nam loca S. Scripturæ, quæ Binsfeldius, & ex eo Ostermann adfert ut illud. Quoniam in me sperauit liberabo eum. & Dominus nouit pios de temptatione eripere 2. Pet. 2. eos non concernunt, qui vere pij non sunt, & qui in deū non, ut oportet, sperant, ac confidunt, quorum multo maior est copia, quam eorum qui Magi ac Sagæ sunt. Ergo non est adæquatè de omnibus scilicet qui magi non sunt probatum, quod diabolus eos in saltibus representare non possit. 2. non probauit Binsfeldius, nec Ostermannus, quod deus desineret esse protector iustorum, si sineret eos à diabolo in saltibus repræsentari, falso dein apud Iudices denunciari, ac etiam extremo supplicio affici. Nam tametsi hæc grauissima foret tentatio, generoso tamen ac Xanziano animo esset ferenda. Nam diligenter Deum omnia cooperantur in bonum Roma. 9. sicuti sancti Martyres similes tentationes constantissimè pertulerunt. Quod si autem in casu isto aliqui animis deficerent, ac in desperationis barathrum deuoluerentur, tribendum illud esset, non deo, qui omnibus tentatis, suā gratia adest; sed humanae fragilitati, ac etiam malitiæ, sicuti plurimorum christianorum, ut patet ex historia Ecclesiastica, tempore persecutionis à christianitate defecerunt, 3. Nec ex historijs illis, quas ex eodem Binsfeldio, & ex se adfert Ostermannus generalis regula statui potest. Nam liberauit Deus Susanam, Danielem, & alios è periculis, in quibus

quibus per hominum iniustiam constituti erant , alios tamen non eripuit. Nonne Naboth iniustissime occisus est . 3.Reg. 21. quis tamen inde inferet, quod fuerit iniustus, aut quod non sperauerit in deum? Præterea multos diaboli per falsas à se exhibitas representationes decepit , ac decipit. Notum est, qua ratione in æternam damnationem peitraxerit Radbodus Regem Frisiæ diabolus, vel etiam qua eum ratione impedierit à proposito factum baptismū suscipiendi. agrotanti, ac dormienti Regi deceptor hominum diabolus (narratur apud Baron. an. 719. n. 9.) qui etiam Dei omnipotenti permisso in Angelum se transfigurat lucis, apparuit diadema aureo circūfulgentibus geminis capite cooperitus, vesteq; autem textili toto amictus corpore. Denique attonitus prefatus Princeps diligenter in eum attendebat stupens ac tremebundus, admirans cuius speciei & virtutis esset, qui apparebat, iisque multimoda artis nocendi seuisimus draco ad eum. Dic quoſo fortissimè virorum, quis te ita seduxit, vt à cultura deorum, & à religione prædecessorum tuorum velis recedere ? Nolita, obſcro, agere, sed in his, quas hactenus, tenuisti, culturis deorum permane, ibisque ad domos aureas eternaliter māſuras, quas tibi in proximo sum datus, vt verborum meorum dictis aſtruam fidem. Quapropter cras accersens Vulfrannum Doctorem Christianorum, inquire ab eo vbinam sit illa manſio aeterna claritatis, quam pollicetur, te ſi Christianum ſuſcepereis dogma in caelētibus habiturum. Quam cum demonstrare nequierit, viriſque partis mittantur legati, eroque Dux itineris, & monſtrabo illius manſionem eximia pulchritudinis, & fulgoris immensi, quam tibi poſt modicum sum datus; qui euigilans sancto Pontifici Vulfranno cuncta per ordinem pandit. Ac cíclēt, vt breuiter diçam, poſtea per ſignum Sanctæ Crucis tota illa fabrica, quam Dœmon præſtigioſe pro Radbodo fabricarat, euanuerit, adeoque Dœmonis fraus pœnitius detexta fuerit, attamen antequam Legati, qui ad domum illam conſpicientiam à Sancto Vulfranno missi erant, redirent, Radbodus mortuus erat in gentilismo & ad infernum iusto Dei Iudicio detrusus. Horribilis exemplum est, quod ex Cassiano narrat Illuſtrissimus Cardinalis Bellarmiſſus libro 2. cap. 11. de gemitu Columbae. Vixit Heron eremita quinquaginta annis in Eremo in summâ abſtentia , & continentia , & silentio & vita perfecta exercitatione : & poſtea tamen illufus à diabolo , ſemet in altissimum puteum præcipitauit : quaſi pro merito virtutum ac laborum, non poſſit vlli discriminī ſubiacere , & ſemimortuus inde erutus à fratribus , ne ſic quidem reſipiscere voluit , & in ſua obſtinatione vitam finiuit. Similia ex vitiis Sanctorum & alijs historijs adferri poſſent , ex quibus etiader probatuſ, quod non ſolum peccatores , ſed etiam viri sancti ac iuſti iſtis falsis repræſentationibus diaboliciſ non ſolum diuexentur ſaþe , ſed etiam , vt cuiuſi christiano iuſtuſ, ac sanctuſ timor incutiatur, ſubinde aeternaliter decipiuntur.

CONFUTATIO

In speculo exemplorum refertur Verbo Luxuria exemplo Sexto ex vitiis Sancti Patrum. Quod Monachus quidam vir summae abstinentiae & qui die nocturne in orationibus pernoctare solebat, ob superbiam quandam, quæ forte mortalis non fuit, in subsequentem modum fuerit delusus. Induit enim se dæmon habitu, gestuque mulierem per eremum oberrantem, acquisi lasciabunda esset ad monachi pedes se projectit dicens. Nox me infælicem in eremo latitantem comprehendit, iube me ergo requiescere in angulo cellulæ tuæ, ne forte efficiar nocturnis bestijs præda. Dixit: eoque permouit larvâ istâ testus dæmon miserum hominem, ut in apertum libidinis scelus ruerit, seseq; cum dæmoni miscere voluerit. Ecce autem dum id tentatur, diabolus diræ vocis teterimum emittit vulnatum & instar tenuis umbræ inter manus amplectentis dilabitur. Tunc præterea multitudo dæmoni in aëre ad hoc ipsum spectaculum cōgregata clamore ingēti cū cachinno exprobrationis elata dicebat. O monache, qui te usque ad Cælum extollebas, quomodo iam emersus usque ad infernum, disce, quia qui se extollit, humiliabitur. Quid multis? delusus taliter à diabolo Monachus, eremus, ac Sanctorum, quibuscum viuebat, consortium dereliquit, & in quævis vitia se præcipitem dedit.

De sanctimoniali quadam ab incubo dæmonie mire afflictata narrat Cätipratensis l.2. Apum.c.57.n.24. hisce verbis. Harū autē uirginē, inquit, in religioso habitu vidi, quæ cū primo diceret, nunquā se in concubitu cōsensisse, plurimū admiratus sum, quo indicio hoc potuisse in anima non cōsentiente omnipotēs permisisse. Credere ergo illi nullo modo volens horrificis iuramenti virginem confessatus sum, & tandem ab ea violenter extorsi, ut cum maximis lachrymis, & erubescientia fateretur, se prius mente, quā carne corruptā. Et vide quā occultū & mirabile iudiciū aequitatis. Illa utique cum postea a doloreret, & cum confiteretur cū lachrymis omni die, nulla tamen arte, vel studio, ab incubo potuit dæmonie liberari, ita ut nec villa valeret crucis signatio, non ipsa sacra corporis Christi ipfis Angelis terrifica sacramēta, donec post annos multos oratione, & ieuiuio pie Lutgardis dæmon incubus totaliter fugaretur, & nos quidem sequimur & fatemur, ait author saluo tamen iudicio sententia meliorū postquam de peccato suo amare fleuit, & doluit; potius ei concubitus dæmonis pena culpa, quā culpa fuerit. Quid multis? Nonne Diabolus, ut experientia iam patefecit sœpe mulierculas decipit, quod in specie maritorū ad ipsas accedat, & post ad abnegationem Dei, & Sanctorum, eas seducat. Quid ergo est quod Deus non concederet quod idem diabolus aliquem, & qui magus non est in saltibus quandoque repræsentet.

Sed hoc disputationis duntaxat causa à me in medium allatum sit, Satis enim mihi est contra Ostermannū quod posito, quod Deus statuisset nunquā diabolo permittere, quod aliquem qui magus non est, in saltibus repræsentet, non sequatur continuo ergo neque permittit inquam quod diabolus alicui qui magus non est, stigma imprimat.

Quod

Quod si Ostermannus loca Scripturæ & Sanctorum Patrum attulerit, erit forte qui illi poterit respondere, & quamdiu hoc non fecerit, non ægrè, credo, feret, si nudas ipsius assertiones tanquam nullo fundamento nixas cōteminamus.

Dixi; vt sic Iudex in Magi ac non Magi cognitionem deueniat. Nam ex hoc præcisè capite, Probatio hæc videtur esse diuinatio superstitionis. Volunt enim quantum est ex vi istius actionis, venire in occultorum criminum cognitionē. Nec refert quod ordinariè alia præsto sint Iudicia. Nam de hac probatoria actione loquimur præcise, cui per accidens est, quod alia sint indicia ad magicū hoc crimen inuestigandum, imò quo hæc copiosiora, & certiora sunt, eò minus excusabile est, quod proba hæc usurpetur.

Consistit autem superstitionis diuinatio Secundum S. Thom. 2.2.q.95.art.2. in corpore in hoc, quod cognitio futurorum (idem est de cognitione occultorum, vt idem S. Doct̄or seipsum extendit artic. 3. ad 2.) inquiratur per id, per quod cognosci non potest; aut vt fusè, ac doct̄e explicat Francisc. Suarez to. 1. de virtute relig. tract. 3. l. 2. c. 9. quod inquiratur talis cognitio per mediū, quod non continet conclusionem tanquam causa determinata effectum, vel illam non continet vt effectus causam. Suppono autem, quod signum per quod scilicet cognitio aliquius rei inquiritur, non sit institutum à Deo, vt illud Gen. 9. v. 13. & illud Num. 5. v. 14. Quare cum talis inuestigatio non fiat per aliquam inuentionem, necessario fit per aliquam disciplinam, & magistrum, qui nō est Deus, nec Angelus bonus, nec homines, ergo necesse est vt sit dæmon.

Iam autem in nostro casu fluxus, & non fluxus sanguinis in hominem qui a se pungitur, medium est omnino improportionatum, per quod in Magiæ, ac non Magiæ cognitionem deueniatur. Nam sicuti exempli causa fornicatio Titi consistit cum fluxu sanguinis Titi, quando acu pungitur, ita etiam Magia Titi consistit cum fluxu sanguinis Titi. Nec enim villa abstrahendo à dæmonis instituto inter hæc dari potest repugnantia. Ergo sicuti stulta est (quod dico propter crassam ignoratiā, quæ & hic interuenire potest) & superstitionis hæc consequentia. Titus acu punctus est, & emisit sanguinem, ergo non est Magus. Iterum sicuti non sequitur. Titus, quando acu punctus est, non emisit sanguinem ergo est fornicator, ita non sequitur ergo est Magus: Et quæ quæso connexio, causalitas, ac habitudo physica inter hæc vitia, quæ quatenus habitualia sunt, entia sunt moralia in voluntate humana moraliter subiectata, ac inter fluxum, & non fluxum sanguinis singi, aut excogitari potest, cùm fluxus, & non fluxus sanguinis, ens sit Physicum, crassum, ac materiale. Hinc vt logicè rem explicem, sicuti vox blictri, & vox sindapsis nihil planè significant, & necesse haberent institutorem aliquem, vt hoc, vel illud determinatè significarent, aut vt hæc voces fierent voces significatiæ, ita per se loquendo fluxus, & nō fluxus

sanguinis nulla peccata, ac non peccata determinatè naturaliter significant, id-
eoq; vt hoc peccatum potius, & illud non peccatum potius, quam illud peccatum
& illud non peccatum, & quidquid aliud determinatè significant necessari-
tio est ab instituente aliquo, qui non est Deus, nec Angelus bonus, nec homi-
nes, ergo est dæmon. Ergo superstitione diuinant qui istam significationem isti
signo à diabolo impositam obseruant, ac per hoc in Magiæ, ac non Magiæ co-
gnitionem deueniunt, cognoscunt enim Magiam per id, per quod cognosci na-
turaliter non potest.

Quod etiam verum est posito in membro aliquo, quod acu pungitur, stu-
pore isto, & omnimoda carnis mortificatione, quæ tum à Dæmons, tum ab alijs
causis naturalibus causari potest. Nam nec in hoc casu fluxus, ac nō fluxus san-
guinis, non magis significant naturaliter Magiam, ac non Magiam, quam mor-
tum aliquem, quem cærdâ sua facit Vulpecula aliqua. quæ est in promontorio
bonæ spei. Ergo quod etiam in isto casu fluxus & non fluxus sanguinis determi-
natè significant Magiam, & non Magiam necessario est ab alicuius instituto.
Si quæras cuius? iam dixi daemonis. Ergo ob rationem ex S. Thoma datam, qui
ista signa obseruant in ordine ad cognoscendum Magiam, aut non Magiam
superstitione diuinant. Ergo sunt in statu peccati mortalis, ergo non possunt
absolui nisi velint ab ista sua proba desistere. Quid tu ad hæc mi Ostermann?
itane iam tibi sufficienter probata videtur propositio illa, qua dixi, huius probe
effectum peti à diabolo. Dic quæso quid desit, vt illud suppleri possit. Certum
autem mihi est, quod non solum hæc diuinatoria probatio, sed etiam omnes a-
lia similes diuinationes in authoritatem diaboli resolvantur.

S. Ioannes Chrysostomus Homil. 21. ad Populum acriter reprehendit suos
Antiochenos, quod similibus diuinationibus fuerint intenti. Ait enim. Sa-
pientiam suam quis egressus hominem vidit vnoctulum, vel claudicantem, & ominatus est. Hæc
est Pompa Satanica. Non enim hominis occursum malum facit esse diem, sed in peccatis viae-
re &c. Et iterum paulò post. Dicamne & aliud ridiculosius? Confundor nempe, & eru-
befco, sed cogor propter salutem vestram dicere. Si virgini, inquit, occurreris, sterilis dies erit, si
vero meretrici, dextera, & bona, & multa mercatione plena. Occultamini, & frontem percus-
titis, & ad terram inclinatis: sed non nunc, dum dicuntur verba, sed cum fiunt opera erubescen-
dum est. Hæc & alia aureum illud os. Ego vero hic doceri cupio, cur ominatio sit,
dicere occurrit mihi vnoctulus, ergo infelix dies est, & non sit ominatio, dicere
illi non fluit sanguis, quando acu pungitur, ergo est Magus, & cur tam in
hac, quam in illa, cuius meminit Sanct. Chrysostomus,
fraus dæmonis æquè non in-
terueniat.

CAPUT

CAPVT V.

*An ex libro de tribus Energumenis proba hæc, probari vel
reprobari queat.*

EX libro isto, Ostermannus probam istam latè afferere ac probare conatus est, purauitque se magnam depugnasse pugnam, quando aliquot libelli sui pagellas ad sententia, quam defendantam suscepserat, confirmationem ex libro isto, aut potius ex assertionibus Magorum, ac Sagarum oppletuit. Sed nullo ex capite magis proba ista mihi displicuit, nec etiam nū magis displiceret, quam quod tradita sit in libro isto euidenter enim ex eo mihi probari posse videtur quod proba hæc aut quæ per eam fit diuinatio, in dæmonis authoritatem resoluti debeat. Nam, ut omisssis ambagibus rem ipsam aggrediar, ex eodem isto libro constat, quod Diabolus Martinum Delrionem, quasi simplicia nimis, & falla de Magia scripsisset in Synagoga Sagaru publicè deriserit (quæ tamen deriso summa istius viri velit nolit Maria de Sains, & Ostermannus est gloria) quod item Maria de Sains diaboli multis annis fuerit Discipula, ac obsequentiissimum mancipium, quod etiam omnem suam doctrinam, quam de stigmatico isto dogmate habet, non aliundè acceperit, quam à diabolo, & in Synagoga eius, & per longum experimentum quo cum eodem consueuerat; quod deniq; eadem Maria de Sains, vñà cum complicib. suis fuerit probæ illius primaria promulgatrix, ac sententia Delrionis & Binsfeldij (quam doctores illi Probam illam reiciunt) fuerit vana, & garrula oppugnatrix, adeò vt non puduerit Ostermannum vanissimæ huius mulierculæ vanissimas assertiones ad propositionum suum quomodo cunque confirmandur, in librum suum referre. Vnde sicuti articuli Fidei Catholicae resoluuntur in authoritatem Dei nobis per Ecclesiam, cui perpetuam Spiritus S. assilientiam promisit. hoc vel illud reuelantis, quod proinde non vt verbum hominum, sed vt Dei suscipiamus, ita dogma illud de stigmatica proba necessario in authoritatem dæmonis, quæ fallacissima tamen, & mendacissima est, in Synagoga sua, ac dein per Mariam de Sains, imò per ipsum dæmonem immediate, vt præclarum illum librum legenti patet, reuelant necessario resoluitur. Nam huius dogmatis reuelans, ac institutor primarius est dæmon, reuelatrix aut promulgatrix primaria est Maria de Sains, quæ illud in Synagoga dæmonis, & per magnam familiaritatem, quam cum dæmonis habuit didicit, & promulgavit. In cuius ergo reuelationis preterquam dæmonis authoritatem hæc proba; & dogma eius resoluitur.

Quapropter sicuti Lutheranus hoc ipso apud omnes prudētes, & cordatos viros infamis est & esse debet, vt elegantiissimè, ac solidissimè deducit R.P. Nic. Serra, quod Lutherus, in initio infanæ suæ doctus, ac persuasus sit contra

Sacrificium Missæ à dæmonc, quocum Lutherus nocturnam disputationem habuit, & in qua hærefiarcha succubuit, vt ipfemet proprio libr. an. Dom. 1524. referente Ioanne Cochlæo, & alijs roti mundo in perpetuam sui, suorumque ignominia testatissimum fecit. Ex quo euidenter inferri putant Catholici, quod Lutherani mediante Lutherio, sint discipuli diaboli. Ita planè mihi viderur (abstineo mi Ostermann ab ulteriore comparatione) quod proba hæc ut infamissima, & diabolica rei ci debeat ab omnibus penitus Catholicis, cùm institutorum alium non habeat quam dæmonem, nulosque reuelatores alios, quā Magos, ac Sagas in Synagoga Sathanæ edocētos, & authoritate illius nitentes, cui vt ex S. Athanasio eruditè docet S. Thom. 2.2. qu. 95. art. 4. etiam vera dicenti credere non debemus. Nam diabolus suis responsis vera subinde miscet, vt per hoc assuefaciat homines, vt ei credatur. Quæ etiam à S. Partibus reputatur causa, cui Christus Dominus diabolo miseri alicuius corpus occupanti, & pauca verba quæ & vera, & Christo Domino perhonorifica erant proferenti grauter illico minatus sit. Obmutescet, & exi ab eo. Marc. 1. Luc. 4. Quare omnino Christianè & Theologicè inuictissimus athleta Ioannes Cochlæus Lutherum, postquam is librum suum de Angulari Missa edidisset redarguere voluit subsequentibus verbis. Non fore necessarium ad argumenta Lutheri, que diabolum proposuisse dicit, respondere: *Quandoquidem omnes probè scimus diabolum esse versipellem hostem veritatis, malumq. spiritum qui in malo est, ac manet obstinatus, vt nihil boni in mente, aut voluntate sua habere aut proponere possit.* Quemadmodum Christus de eo ait. Ille erat homicida ab initio & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo sicut & Petrus, Paulus, Ioannes Apostoli, omnesque sancti de eo conqueruntur, quod sit fraudulentus, mendax, calumniator, ac seductor. Nullus igitur Christianorum boni aliquid ex eius argumentis expectare debet: sed dicet potius intra se, etiam si argumenta per Sophisticos fucos apparerent validia que soluere non possem, nihil me mouere debent, quandoquidem certam habeo veritatem Christi dicentis. *Quia veritas non est in eo.* & Pauli, qui ait, *Ipsé enim Sathanas transfigurat se in Angelum lucis.* Manebo igitur potius in fide Ecclesie quam Paulus dicit esse columnam, & basin veritatis, hæc ille. Idem ergo Cochlæanum consilium do aduersus omnia testimonia, ac Sophisticos fucos Mariæ de Sains & eius complicum à diabolo edocētarum. Certum enim est quod diabolus ab eo tempore, quo Cochlæus ista scripsit se non emendauerit, sed potius in malo profecerit, & quod proinde eandem etiamnun authoritatem habeat, quam Cochlæus imo Christus Dominus iampridem illi tribuerunt.

Ac licet alias comparationes inter Lutherum & Mariam de Sains latius instituere possem, eas tamen breuitatis causa omitto, aduerto tamen quod Diabolus ad dogmaistud suum promulgandum vsus sit mulierculis deuotissimis suis discipulissis.

Nam vt S. Hieronymus ad Cresiphontem elegantissime prosequitur, diabolus

Ius ordinariè vt confucuit mulierculis ad hæreses, & noua sua dogmata disseminanda.

Pat. 1. Verissime scripsisse S. Augustinum, quod illi qui res à diabolo institutas obseruant, & se vanis obseruantis immiscent, implicentur multiplicibus laqueis erroris perniciosissimi. Meritò etiam cuique mirum videri posse, quod pessimus ille liber de tribus energumenis, manibus ferè quorumcunque hominum impunè teratur, cùm tamen assertionibus, ac institutis dæmonum is sit plenissimus, ac istum in finem conscriptus videatur, vt diabolus exercitatus fiat Magister Ecclesiæ.

Pat. 2. Vt puto, ratio. Cur in ijs personis, quæ ob Magiæ crimen suspecte sunt, & vt tales apprehenduntur, & non in alijs hominibus, si pungerentur, sanguis sistatur. Nam licet circa quemcunque hominem, qui pungeretur, facere posset, dæmon quoad impressionem stigmatis, & fluxum, & non fluxum sanguinis, quod modò circa Magos, & eos qui de hoc crimine suspecti sunt dunata, sat facit, attamen circa quemcunque hoc nō facit, sed circa Magiam, & eos qui de hoc crimine suspecti sunt. Cuius ratio à priori est dæmonis voluntas, ac institutio. Congruentia autem esse possunt, quas Ostermann. in medium adducit astrolologia sua sexta. Nam dæmon, vt ad obiectiōne quandam Ioan. Caluini hæreticè afferentis ad Sacramentum conficiendum opus esse verbo concionatorio, non verò rituali in materia de Sacramentis in genere responderi solet, est simia Dei, eumque in suis institutis nefariè æmulatur, de quo pulchra, & mira exempla habet Iosephus à Costa in libris quos de natura noui orbis conscripsit, & quos Hollandi in suum idioma transtulerunt, refert enim quod dæmon ante aduentum Hispanorum in Peruana & Mexicana Prouincijs suos Monachos, ac moniales in monasterijs collegialiter habitantes, & ipsi die, noctuq; sacrificantes atq; psallentes habuerit & in plurimis alijs Christianam religionem fuerit imitatus, etiam quoad institutionem venerabilis Sacramenti.

Quin etiam Julianus Apostata instigante dænone, cuius cultui se totum deuouerat, vt cautius facilius que Christianos deciperet, atque ad pristinos Deorum cultus eos transferret, plures Christianæ religionis ritus, & mores in Ethnicismum, quæ ille totis viribus reparare studebat, transferre conatus est. Enarrat hoc Juliani impium studium S. Gregor. Nazianz. ei coæqualis in hunc ferè modum. Orat. i. in Iul. Cūm doctrinam nostram dogmatibus quidem, & supernis testimonijs magnam esse conficeret, tandemq; veterem, & nouam; veterem vaticinij, ac sublucen-tibus Diuinitatis nationibus, nouam posteriore Dei aduentu, ac presenti, ijsq; miraculis, que rū ex ea, tum circa eam designata sunt: ceterum maiorem, atq; insiguiorem ob eas Ecclesiæ figuræ, quas traditione acceptas in hac usque diem seruauimus. Vt ne hoc quidem eius malitia ex-pers maneret, quid communis situr? quid facit? Rapsacem illum AEgyptium imitatur, qui ad re-

CONFUTATIO

ducendum in seruitutem Hebreos, Hebreo voluit uti sermone, non Syro paucis illorum noto. Idem igitur hic quoq; cogitans scholas, in omnibus Ciuitatibus extruere parabat, & sacraria, sedesq; parim altiores, partim depresso; prophenorum etiam dogmatum lectiones, & explicaciones instituere, tam que mores componerent, quam que in rerum abstrusarum tractatione versarentur, precationam alternatim canendorum formam, & rationis, quâ in eos, qui peccarent, pro delicti modo animaduerteretur, atq; omnia que nostrâ planâ disciplina sunt. Confitebat etiam diuersoria adiscire, ac domos excipiendis hospitibus dicatas, nec non Monasteria & virginum Cœnobia &c. Hæc ille.

Vnde, cùm diabolus sit Simia Dei, sicuti exempli causa secundum ordinationem Dei ad ablutionem, quæ aquâ fit, & non quæ alio liquido, & ad hanc formam verborum. Ego te baptizo in nomine Patris &c. &c non ad aliam essentialiter ab hac differétem, in homine qui baptizatur, supernaturaliter sequitur, vel causatur remissio peccatorum & iustificatio. Ita ex instituto dæmonis modò sequitur in homine, qui de magia suspectus est, ac acu pungitur, vt sanguis illi sistatur, aut non fluat, & alicui alteri non sistatur sed fluat, si & ille pungeretur. Sicuti ex pariete lac deducitur, quando muliercula aliqua nitens tacito, vel expresso pâto dæmonis parietem ex eius instituto pungit, vel aliquid in eo ponit, ad quod veluti ad signum dæmon excitatur, atq; inuocatur. Tametsi etiam fatendum sit, quod nō omnino infallibiliter effectus in his, & similibus sequatur, tum quod Dæmon spiritus est mendax, qui res ab ipso institutas in tantum obseruat, in quantum ad perniciem hominum istâ conducent, tum quod dæmon sâpe à Deo cohibeatur, ne id faciat, vel sequatur semper, quod vult ac instituit. Solet enim Deus sâpè benè facere, tametsi homines, ac diabolus pessime sâpè velint facere, ac pessime faciant.

Patet 3. Ad diuinationis crimen incurrendum perinde plane esse, siue dæmon loquatur per se, siue per Magos, siue per certas operationes, siue loquatur per certa signa, vt in casu nostro. Nam omnibus illis modis consultulitur, rogatur, & responsum dat dæmon, qui responsis suis hoc intendit, quomodo cunque demum ea fiunt, ut ipse consulatur vt De vs, & vt homines in necessitatibus suis ipsum adeant, & consultant. Et quia Diuinitas nostro modo concipiendi in quorūcunque occulorum cognitione, eorumque liberâ & arbitria reuelatione inad equatè consistit, ex quo duo inferunt Patres, ac Theologî.

1. Quod Angelus naturali sua intelligendi facultate non intelligat cogitationes cordis, & occultas voluntates hominum, cùm hoc proprium sit Dei iuxta illud Esai. 46. Ego Deus, & non est ultra me Deus, nec similis mei, annuntians ab exordio nouissima, & ab initio, que nondum facta sunt. Et illud Salom. 2. Paral. ca. 5. Tu solus nosti corda filiorum hominum.

2. Quod

2. Quod Christus sit Deus , cùm ipse cognoverit quascunque hominum cogitationes , easque potuerit pro voluntate sua alijs reuelare . Quia inquam Diuinitas in occultorum cognitione consistit , eam Diuinitatis excellentiam dæmon affectat , hominemque , à quo quomodo cunque consultatur , paulatim eò conatur deducere , vt is suam de diabolo aestimationem profiteatur , & signis exterioribus vtcunque ostendat , & dæmonem supremo honore afficiat , quod etiam dæmon intendit , quando ea hominem docet , quæ natura- liter , aut per ordinariam ipsius intelligendi vim cognoscit . Quamobrem grauiter peccant non modo iij. , qui dæmonem ac Magos consulunt , sed etiam qui illa , quæ dæmon quomodo cunque consultus consultur , agunt , & in præ- xin ex eius præscripto deducunt , tametsi ea in se essent bona , sancta , & salutaria , verbi gratia certum numerum sacrorum , & bonarum oratio- num .

Nam sicuti Medicus honorem habet , quod ægrotus sanetur , tametsi non ille , sed medicina (propriè loquendo) immediatè sanet , & morbum dispel- lat , medicina enim à Medico præscribitur , & ex eius præscripto ægrotus medi- cinâ vtens sanatur , ideoque Medicus honoratur ob sanitatem restitutam . Ita etiam Diabolus summo honore , qui soli Deo debetur afficitur , saltem secun- dum ipsius intentum , quando ille quomodo cunque consultus etiam san- cta , & salutaria remedia præscribit , ad aliquid cognoscendum , aut impe- trandum . Quæ omnia conformia sunt Doctrinæ vtriusque Thomæ 2. 2. qu. 95. art. 2. & aliorum Doctorum , & nominatim Francisci Suarezij , qui lib. 2. de superstitione cap. 8. à num. 10. doctrinam hanc solidissime doctissimeque prosequitur pressius vestigia Sancte Thome quam de Valentia subsequutas , qui etiam addit , quod ille , qui se dæmoni tradit docendum & instruen- dum quomodo cunque , eo ipso crimen Laesæ Maiestatis Diuinae committat . Ac subinde grauissimam Deo iniuriam faciat , & contra honorem , & fidel- itatem Deo debitam agat , non ex vi voti , sed ex vi subiectionis , & seruitutis Deo debitæ .

Videant itaque qui probam hanc exercent , num , quando illam exercent , Diabolum consulant . Nam certum est , quod diabolus saltem mediate pro- bam istam instituerit , quodque eam per Mariam de Sains & istius farinæ ho- mines alias reuelarit . Interim sicuti verbum Dei eiusdem est firmitatis , at- que aestimationis siue illud immediate ab ipso Deo , siue per sanctos ho- mines siue per sacras litteras , siue per traditionem , siue per Ecclesiam , siue etiam per certa signa tradatur , & promulgetur : cùm infallibilitas , & veritas verbi D e i exoriatur ab ipso D e o , qui in essendo , cognoscendo , & dicendo prima , & infallibilis est veritas , vt communiter à

Theo-

CONF V T A T I O

Theologis in propria materiâ tractari solet. Ita eiusdem qualitatis', & fallaciæ est verbum diaboli, siue ille loquatur per se, siue per Energumenos, siue per Magos, siue per certas operationes & certa signa. Quia, qui loquitur, & à quo verbum istud suam qualem cunque autoritatem accipit, vbique ad mentionandum, & fallendum sibi simillimus est. Anne ergo laudandas hoc nomine Iulius Cæsar, tametsi hac de causa à Suetonio reprehensus, quod omnia veteris illius, & gentilitiae religionis, auguria, Diuinationesque vi solius luminis naturalis illustratus contempserit, nec aestimarit vñquam? Ait enim de eo Sueton. cap. 59. *Ner religione quidem villa à quopiam incepto absterritus vñquam, vel retardatus est.* Cūm immolanti aufugisset hostia, profectionem aduersus Scipionem, & Iubam non distulit. Prolapsus etiam in regressu nauis verso ad melius omine teneo te, inquit Africa. Quod Cæsar, hoc & fecerunt prudentiores gentiles aliqui. Vbi obiter notandum. Quod volatus & garritus auium, & similia, per qua diuinabant, & hariolabantur gentiles, fuerint res à Deo creatæ, & naturales: sed quod Diabolus istas ipsas res determinauerit ad ea significanda, quæ gentiles per ea superstitiones cognoscere volebant. At stigmata ista & materialiter, & formaliter à diabolo facta sunt, ad eoque à diabolo sunt tam in esse signi, quam in esse rei.

C A P V T VI.

An in Proba hac interueniat tentatio Dei.

Tentatio Dei, quantum ad rem nostram, fit quando quis absque iusta causâ aliquid dicit, vel facit ad capiendum experimentum diuinæ potentiae, Sapientiae, Iustitiae, Misericordiae, Voluntatis aut alterius attributi. Ita ex S. Thoma, breuius quam multi alij P. Lessius de Iustitia l.2.c.45.dub.1. Fit autem hæc Dei tentatio dupliciter primo, quando directè, aut expressa intentione quis Deum tentat. 2. Interpretatiæ, vt dicunt, & implicitæ, quando quis licet expresse non intendat, ipso tamen opere aliquid agit quod per se ad tentandum Deum conducit, aut tendit. Cæterum formalem Dei tentationem in hoc opere raro committit à Iudicibus facile crediderim, interpretatiuam autem aut eam, quæ ipso opere fit, licet homo eam non intendat interuenire puto.

Primò & potissimum ex eo, quod probatores illi ad Dei prouidentiam pertinere putent si non expresse, quod fortè simpliciores non examinant, saltem in actu exercito, & quantum est ex vi ipsius operis, vt diabolum, quando proba fit, cohibeat, ne is Magis dum illi punguntur, sanguinem faciat fluere, non Magis autem sanguinem faciat non fluere: quod utrumque facere angelicam, eiq; connaturalem potentiam non excedit. Ita in hac Dei prouidentia dogma suum stigma-

stigmaticum fundauit impia Maria de Sains & incautus Ostermannus primo capite relati. Quæ etiam de Dei prouidentia æstimatio illos iudices, qui proba illa supra aquam vrebantur, in fraudem induxit. Quare adesse sibi postulant hanc Dei prouidentiam, aut huius prouidentiae executionem, quando proba hæc fit & quidem adesse infallibiliter, postulant quæ voluntas tametsi interpretationia solum sit, est sine necessitate, curiose item, & Deo irreuelialis, cum nulla Dei promissione nitatur, & tale quid sine vlla necessitate, & indebitè per medium scilicet à diabolo institutum petatur. Sicuti etiam re ipsa à Iudicibus prouidentibus supra aquam petitum fuit, ne Deus permitteret, quod Diabolus faceret corpus Sagæ aquis submergi, corpus autem non Sagæ aquis supernatari. Hinc sicuti Sacerdotes illi peccarunt, per se loquendo, qui aquam, aliasque res, quibus suspecta personæ quandam probanda erant, exorcizarunt de quibus exorcismis late Delrio, ita peccare mihi hodie tempore videntur Sacerdotes illi, qui præium dispositionem ad stigmatricam istam probam exorcismis suis faciunt. Imo eruditæ admodum aduerit Franc. Suarez, quod hæc Dei interpretationia tentatio vix sine vllâ Dei inuocatione exerceri queat, & quod ita tentantes opere & virtualiter istam Dei protectionem, vel cooperationem postulent.

Dixi infallibiliter. Quamvis enim per orationes, aliaque pia exercitia petere quis possit, & debeat, vt Deus ipsum in periculis constitutu cōtra omnē diaboli insultum custodiat, innocentiam suam, si contra eam calumniam patiatur, tuncatur, ac propugnet, atramen nunquam tale quid, quod scilicet corporale, & temporale est petere quis à Deo deber, nisi sub conditione, si scilicet æternæ ipsius potentis saluti conducat, & si Deo ita sit visum, quod petens aut orans ex hoc vel illo periculo liberetur, & diabolus corporaliter cum amplius non diuexet. Nam sæpe salutare est istius modi difficultatibus immergi, vt Deus faciat cum tentatione prouentum, & vt palam fiat, vtrum eum diligamus ex toto corde nec ne. Ideoque hæc temporalia non aliter quam sub conditione nobis orantibus ac potentibus promissa sunt. vt communiter ex Sancto Augustino in materia de oratione traditi solet. Quare qui in periculis constitutus est, oret sicuri orarunt tres illi Sanctissimi pueri apud Danielē c. 3. Nam quando statuam à rege Nabuchodonosore erat adorare debebant, vel, si hoc nollent, in ignem ardenter projici, dicebant Ecce Deus noster, quem colimus potest nos cripere de camino ignis ardoris. & de manibus tuis, O Rex liberare, quod noluerit notum tibi sit, O Rex, quod Deos tuos non colimus. Ita quippe sperabant Dei protectionem, vt interim resolutissimi essent in fornacem projici, & comburi etiam si Deus statuisset eos à manibus Nabuchodonosoris non liberare. Ad hunc quoque modum orauit Saluator noster, quando ad Sacratissimam passionem sele preparabat, omnes que

C O N F V T A T I O

que dolores, quos nostri causa suscepturus erat mente secum voluebat, dicebat enim Pater si possibile est transeat à me *Calix iste, verum tamen non mea sed tua fiat voluntas.* Peccatur itaq; in proba hac ex duplice capite 1. Quod petatur hæc Dei assistentia in opere quod dæmon fecit, atque instituit, quod est stigma. 2. Quod petatur hæc Dei assistentia, quantum scilicet est ex vi istius operis probatorij, non conditionate sed absolute. Etenim si conditionate peterent, faterentur equidem re ipsa, quod huius probæ non infallibilis, sed plane fallibilis esset effectus, & quod nullam causam dare possent, qua prætenderent cur diabolus in probæ non se se imisceat, & cur innocentem non opprimat, quod facillime potest, & vult. Nam causa ob quam hæc à diabolo in proba ista fieri nō posse putentur est ista omnimoda Dei protec^{tio}, quam probatores huic probæ infallibiliter adesse sibi imaginantur. vt autem videatur quod non tantum Deum tentando peccetur, quando extrinsecum aliquod miraculum sine necessitate à Deo peritur, sed etiam tum, quando aliquid peritur, non ita, vt à Deo præceptum est, nec quando peritur sub tali conditione, sub qua à Deo est promissum, placuit sub verba quædam Francisci Suarez ad maiorem veritatis declarationem adscribere.

Nam tomo 1. de virtute religionis tract. 3. lib. 2. cap. 15. num. 10. hæc habet. *Addo præterea quod licet seclusa omni huic modi superstitione sanctum, & religiosum sit reliquias sanctorum ad collum suspensas deferre, vel Euangelium Sancti Iohannis in pectore scriptum portare, & similia, bona fide sperando per modum impetrationis peculiarem Dei protectionem & Sanctorum intercessionem, nihilominus id tanquam omnino certum sperare, non minus quam si esset à deo promissum, non caret superstitione, si non falsi cultus, saltem superflui, Et præterea ubi internuere potest tentatio Dei, si ob eam confidentiam nimiam temere se homo periculis exponat, aut in periculis omitat ordinaria media quibus se tuatur. Quia postulare à Deo miraculosam defensionem, aut protectionem sine causa, vel speciali instinctu est tentare Deum, Vnde oratio vel alijs cultus qui propter hunc finem illi offertur, superflui, ac vanus est, quia revera per talen actionem ille non honoratur. Et præterea illa nimia confidentia de consequendo illo effectu ab ipso deo; cum non sit fundata in promissione eius, vel est vana, ac pure voluntaria, vel est nimia confidentia sui, & suorum meritorum, & ex hac parte potest continere perniciem superbiā. Denique modus ille querendi commoda hac temporalia per usum reliquiarum, & aliarum rerum cum tanto affectu, & credulitate infallibiliter obtinendi illa, non caret periculo quod dæmon se ingrat, & in aliam maiorem superstitionem hominem inducat. Oportet ergo cum debita reverentia, & spe in Deum, & in Sanctorum Patrocinium quod utique non deerit homini, quando, & quomodo illi fuerit expediens, precatio[n]es dirigere.*

Hæc ille, quæ si vera sunt prout ea verissima esse non dubito, quomodo non tentant

rentant Deum omnibusque difficultatibus sese non implicant, quarum di-
ctus author in allegatis verbis luculenter meminit, qui non Sacrosanctis reli-
quias ac Euangelio S. Iohannis &c. sed signo à diabolo posito ac eius vanæ pro-
bationi Deum ita infallibiliter adesse re ipsa æstiment, vt putent Deum nun-
quam permisurum, quod diabolus isti probæ more suo sese immisceat, aut cir-
ca eam faciat, quod facere potest facillime, & quod libentissime faceret, & in
quem finem hanc probam, itemque huius fundamentum stigma ab eo
positum, ac institutum esse omnino putandum est. Nam de hac Dei circa hanc
probam protectione nulla promissio extat in verbo Dei tam scripto, quam tra-
dito.

Porro quod nullum aliud extrinsecum verum miraculum, vel quod in oculis hominum fieri potest, præter hanc Dei extrinsecam assumentiam tam in proba supra aquam, quam hac stigmatica interuenire possit, adeoq; nec aliud pru-
denter peti possit, evidens est. Nam quod corpus graue, & ligatum aquis su-
pernatet, & quod sanguis è corpore sanguinolento & punctuato non fluat,
aut quod sanguis per carnem mortificatam fluat, potest fieri ab angelica pote-
state, ideoque mira ista sunt hominibus naturam, ac potestatem Angelicam
ignorantibus. Verum autem miraculum est, quod à solo Deo fieri potest, qui
omnibus causis, ac potestatis naturalibus altior, atque eminentior est, nec le-
gibus earum constringitur. Ita expresse S. Thomas i. parte. quæst. 114. a. 4.
communiter receptus.

2. Iudex hac proba periculo diabolicae delusionis seipsum exponit, vt supra,
sufficienter à me probatum esse puto. 2. exponit proximum per illegitimum
medium periculo infamissimæ mortis, cum tamen nullum extet Dei promis-
sum quod proba hæc à fraude demonis sit libera, quia si contingat illum, qui
probatur, languinem non emittere stigmatizatus præsumitur à diabolo, rapi-
turque secundum sententiam Ostermanni, qui sententiam Mariæ de Sains ali-
quantulum mitigauit, ad torturam, dein si de corpore, delicti constet ad mor-
tem, quæ vno pede vt cum Danide dicam, à tortura diuiditur. Quod quælo pe-
riculum in mundo inueniri potest, quod huic periculo comparari potest? Nec
obstat quod probatores illi ordinariè alia ad torturam indicia sufficientia ha-
beant, nam hoc potius auger peccatum, & expressius tentationem Dei, quæ in i-
sto opere interuenit, declarat. Nam positis sufficientibus ad torturam indicijs,
inutile, & innecessarium est, istam probam adhibere. Quia vt Sanctus Tho-
mas 22. q. 97. a. 1. declarat, & ex eo meliores Theologi: hæc interpretatiua
Dei tentatio contingit, cum neglectis modis à diuina prouidentia institutis a-
liquid agitur expectatio effectu à solo Deo nulla necessitate, aut utilitate iusta.

CONFUTATIO

Nam tentare dicitur equum, ut eius perniciatem experiatur, qui eum ad currendum incitat absque necessitate, aut peculiari causa; non autem tentare, dicitur equum, qui in periculis constitutus eum ad currendum calcaribus incitat. Itaque cum abstrahendo ab hac proba Iudices, tutò, & magis legitimè contra Sagas procedere possent, sine necessitate & absque peculiari causa Dei prouidentiam circa hanc probam explorant, ut quantū præcise est ex vi iusti illegitimi medij proximum suum torturæ & mortis periculis exponant. Habent enim ut supponitur, indicia alia sufficientia, quibus circa suspeccetas ac apprehensas personas in hoc crimen procedant. 3. Nechuius ab simile est, quod docet G. de Valentia 2.2. disp. 6. q. 14. Puncto 1. Coroll. 4. & Sanchez lib. 2. in decalog Cap. 34. n. 12. Merito Iure Canonico prohibitam esse purgationem, qua quis à criminis obiecto se purget ferro candenti, aut aqua furenti, ut patet Cap. consuluisti 2. q. 4. & alibi. Nam ad tuendum bonum commune satis est, si de crimen, vel innocentia constari possit, ait Valentia, per probationes testium, & per Iuramentum, & alia huiusmodi media ordinaria, & suaiva qualia decent humanam gubernationem: nec exponendus est homo tanto periculo. Quocirca cum talis purgatio bono communi non expediatur, illà vti, nihil aliud est, quam Deum tētare saltem interpretatiuē.

Quid ergo? anne vti proba ista stigmatica, quæ inuentum Diaboli est, qui etiamnum illam probam annihilar, potest, illud suum de stigmatizando Sagas institutum indies mutando, & solum sibi cognita inuisibilia signa, ac etiam Sagis cognita moralia signa, & in corpore earum non existentia ponendo, est interpretatiue tentare Deum, cum proba, hæc non à Deo tamquam authore naturæ, & politice gubernationis hominum ortum suum habeat, sed vt dixi à dæmoni, sine cuius operâ, quæ haud dubie pessima semper est, gubernationi hominum abunde diuinitus est prouisum.

Ex quo obiter patet, quod alia sit ratio depositionis, ac relationis, quâ Sagæ suas in saltibus vias complices referunt, & alia ratio sit huius probæ. Nam proba hæc est illegitimum medium, & non est institutum à Deo tanquam ab authore naturæ & politiæ sed à dæmoni. Depositione autem, quam Sagæ faciunt circa complices suas vias in saltibus, est medium legitimum, per quod in Magorum Sagarumque cognitionem deueniatur. Siue enim diabolus stigmatieum mysterium nunquam instituisset, siue modo reuocaret autem mutaret, nihilominus procedi posset, & procedendum

effet. contra immanissimum
hoc vitium.

CAP.

CAPVT. VII.

An proba hac bona conscientia practicari possit ex eo saltem, quod probabili sententia nitatur.

SVppono aliquem in praxi se qui posse probabilem aliquam Sententiam (tamen variæ Doctorum hac de re extens sententiæ) relicta sententiâ magis probabili, & magis tuta. Cuius ratio primaria esse videtur, quod sequens aliquam probabilem sententiam, quam hic & nunc pratico Iudicio se qui posse concludit, prudenter agat, quod satis esse videtur in moralibus, in quibus alioquin multa sunt incerta, ut quis bene & laudabiliter agat, & vt non peccet. Questio ergo esse potest, an Iudices possint in praxi criminali sequi sententiam Ostermanni (qui tamen nec authoritate sua, nec rationibus suis eam probabile mihi facit) & forte aliorum tanquam probabilem, supponendo scilicet quod probabilitate suâ non cateat, & num sequendo eam nihilominus peccent. Puto enim quod iudices sequendo istam tamque probabilem sententiam grauiter peccent vtendo istâ probâ, de qua haec tenus oppugnando egimus. Nam saepè alicui probabili sententiæ, quam per se loquendo, tutâ conscientiâ sequi quis posset, aliundè su peruenit obligatio alicuius virtutis V.G. charitatis, Iustitiae, religionis &c. quæ aliquem obligat vt teneatur nō sequi in praxi aliquam probabilem sententiam, & vt teneatur non facere, quod alias bona conscientia secundum probabilem sententiam facere posset. Nam hæ virtutes obligant, ut quis eis faciat, quod ipsi debetur, quando sine peccato, & absque incommodo fieri potest. Exempli causa Confessarius absoluere tenetur aliquem grauiter ægrotantem, qui dat signa contritionis, aut attritionis, licet verbis nihil exprimere, nec confiteri aliter quam signa, & notas possit. Nam officium Confessarij & simul tatum ægrotantis periculum Confessarium obligant, ut extrema remedia is pro periclitantis æterna salute adhibeat; adeoque ut Confessarius probabilem suam sententiam quam forte de hoc casu habet, tantisper sequonat, & contra eam agere teneatur, ægrotantem, & non nisi signis confitente absoluendo. Ita aliquis contra virtutem Misericordiæ, charitatis, & religionis peccaret, putans probabiliter hanc formam baptismi esse validam (prout speculatius loquendo valida esse probabiliter putatur) *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab utroque hæc forma verborum aliquem baptizaret.* Nam si forte hæc forma verborum ad baptismum conficiendum, conferendum ne valeret, proximus, qui taliter baptizaretur nullius alterius Sacramenti esset capax, non etiam accipere vim huius necessarij Sacramenti, & ex hoc dunt taxat capite damnari posset, quem sequendo probabilem aliquam sententiam

tanto periculo sine necessitate exponere verat charitas, & forte etiam religio. Eodem modo Iudex ex vi injuncti sibi inumeris ; per se loquendo , obligatur omnibus sufficienter consideratis sententiam fuisse non secundum suam probabilem sententiam : sed secundum id, quod iuri, & æQUITATI est conformius, & quod secundum allegata, & probata est probabilius. Nam si posset in iudicando quamvis probabilem sententiam Iudex sequi, saepe ij iure suo priuarentur, qui multo quam alij, quibus sententia adiudicatur, certius, ac probabilius ius habent, quod videtur esse acceptio personarum quaedam , & quod in magnum reipublicæ, ac priuatorum hominum præiudicium cederet. Ita Vasquez 1.2. disp. 64. c. 2. Sánchez in decalog. l. i. c. 9. n. 47 . & alij. Eodem modo officium, & æQUITAS iudicis exigere ab ipso videtur, vt in Iudicijs , & maxime in isto , in quo de vita, honore, & omnibus agitur per legitima duntaxat media procedat, & vt abstineat ab illegitimis, & peregrinis medijs ad veritatis cognitionem, adquirendam, quæ secundum probabilem, & magis tutam sententiam talia id. est illegitima, & peregrina estimantur. Nam vt de nostro casu duntaxat loquar, si forte proba hæc est illegitimum , & peregrinum medium, exponit se contra propriam suam estimationem, & æternam suam salutem Iudex periculo delusionis diabolica, tentationis Dei &c. & ipsimē committit id, nimirum superstitionem, quod summa VI in alijs cupit extirpare , totumque suum iudicium reddit apud viros prudentes suspectum & forte nullum.

Quamobrem idem in hoc casu ferè fieret quod San&is Apostolis initio nascientis Ecclesiæ astu Dæmonis intentabatur. Nā Salvator noster Apost. elegerat, vt ipsorum opera idolatria ē mundo eliminaretur, & ad hoc induerat eos virtute ex alto. sed cum Paulus & Barnabas Lystram peruenissent (Act. 14.) & miracula nonnulla perpetrassent, commoti sunt Lystrienses adeo, vt prædictis duobus Apost. voluerint idolatricē sacrificare. Quod si hoc admisissent Apostoli, profecto diabol. per Apostolos de nouo firmissimè stabiliusset regnū suum. Ita iudices constituti sunt à Deo vt grauiissimum peccatum Magiae exterminent, & si fieri potest penitus eradicent. Si autem sequantur sententiam Ostermanni tanquam probabilem in hac proba practicanda , & si interim esset sententia Delrionis, & mea vera , reuera ipsimē Iudices committerent superstitionem & crimen magicum. Cur ergo contra hoc crimen procedendo non procedunt, via tuta, & cur se sine causa tanto periculo exponunt, imo cur non tenentur tuta , & regia via incedere , & ab omni specie tanti mali abstinere, maxime quod si forte vera esset Delrionis & aliorum de stigmatica proba sententia, maximis & inextricabilib⁹ se tricis Iudices inuoluerent. Nā si proba hæc est illegitima & magica, nullæ sunt denuntiationes, nullæ confessiones, nullæ etiam sententiae yillius probæ , vel vi iudicij quod ex illa proba desumitur,

facta,

factæ, & latæ, quod ex hoc capite de proba supra aquā affirmat Delrio l. 4.c. 4.
q. 5. in fine Binsfeld. citas multos, & multa, Laiman, & alij. Vnde sequitur quod
Iudex, si vera esset sententia Deltionis, qui secutus in proba hac esset sententi-
am Ostermāni teneatur ad restitutionem famæ, & vitæ ex personis vi talis sen-
tentia executis, & posteritatibus, ac familijs læsis. Quæ omnia in caput talis Iu-
dicis redundant, si Apostolica Sedes hanc quæstionem contra Ostermannū,
& Mariam de Sains determinaret. Nam ideo hæc proba damnaretur à Sede A-
postolica, quia in se superstitionis, & illegitima ac mala est, adeoq; restitutionis
obligatio curreret à tempore commissi criminis. A quibus omnibus incomodis
ij Iudices tuti sunt, qui regia, Canonica, & Legali via contra hoc virtuū procedūt.

Nec refert quod Delrio ibi supra addat si alia indicia non sunt, nam ego loquor
quantum præcise est, ex vi huius indicij, quod per hanc probam acquiritur, cui
postea tortura denuntiationes, & sententia superstruuntur. nec attendo ad ea
quæ huic indicio, vel probæ sunt per accidens.

2. Loquor contra Ostermannum, & Mariam de Sains. Nam hæc omnibus
indicijs quæ haberi possunt de magico crimen, præfert indicium stigmatis, ille
autem sufficere dicit hoc indicium ad torturam. ita enim loquitur pag. 76.

3. Quod aliquis vel aliqua reperiatur stigmatizata, vel quod dum pungi-
tur, sanguinem non emittat, semper de magia commissa suspicionem augere vi-
detur apud Iudices hac proba vtentes, vel faltem ordinarie augere potest, ideo-
que cœteris paribus facilius & fortius hoc indicio instruēti ad torturam proce-
dunt Iudices, quam si hoc indicium non esset. hinc faltem quantum ad illius
suspicionis, & viillius illatæ torturæ excessum medium hoc stigmatis huius
probæ est illegitimum medium, quod in isto scilicet excessu, alia indi-
cia nō comitatur. Ergo excessus ille suspicionis adauēt, & exinde maioris tor-
turæ, de magia homini suspecto illata qui isti suspicioni, & torturæ subijci-
tur, maior iniuria fit quam alia legitima indicia Iudici præbent. Sicuti Ecclesia-
stico ius habenti ad beneficium Ecclesiasticum aliquod plane licet numerata
pecunia vexam ab eo, à quo contra ius suum impeditur, ac perturbatur, redime-
re, cum per hanc vexæ redemptionem nihil iuris Spiritualis, quod antea non
habebatur, acquiratur, attamen si continget, quod redimens vexam hanc ra-
tione maius ius, quam ante habebat, acquireret certè is simoniace peccaret,
quia & ille excessus iuris pecunia acquisiti est spiritualis, pecunia haud æstima-
bilis.

Ita si contingat, quod, nisi vehementer fallor, ordinariè contingit,
per indicium quod per probam hanc generatur maiorem suspicionem in
Iudice digni, & reum per hoc ad grauiorem torturam rapi, certe to-
tus ille excessus videtur iniustus cum causetur per medium illegitimum;

quod

C O N F V T A T I O

quod talem suspicionem nec talem torturam de iure causare potest. Et hæc 5-
nra dicta sunt casu, quo sententiam Ostermanni tanquam probabilem aliquis
sequeretur, & interim ista sententia falsa esset, & contraria quæ à quæ ad mi-
nimum quam Ostermanni probabilis, & omnino de tuta, vere esset.

Et quoniam non solum, qui talia agunt, sed etiam qui consentiunt operibus
eorum iam dudum ore Apostolico (Rom. 2.) sunt damnati, certe nec minimis
tricis implicitus esset Ostermannus, casu quo ipsius hæc sententia falsa esset, &
contraria vera, cum publico ille scripto consilium dederit, & quasi classicum
cicererit, ad probam istam ubique locorum exercendi. Haberent enim in casu
isto locum vulgares isti versiculi.

Quilibet insolidum, reddat prius iniuriator
Iussio, Consilium, consensus, Palbo recursus
Participans, mutus, non obstante, non manifestans,
Currere cum fure faciunt furtique reatum.

De quibus versiculis Summistæ, & Theologi in materia de restitutione late-
tractare solent, qui videri poterunt & nominatim Petrus à Nauarra qui ad ré
nostram lib. 9. de restit. cap. 7. num. 23. de consilium dantibus ita loquitur. Sie-
nem ille qui dedit consilium id est, qui ex officio dare solebat, ut Theologus, vel confessor, Thedicus,
Aduocatus; vel ratione eminentia, vel experientia, ut senes & alij, qui in ea re, vel negotio periti
habentur, & nominantur, vel denique ratione stipendi. Hi, inquam, eriam sceluso dolo tenen-
tur, si eorum negligentia res male succedat iuxta illud, si culpa tua datum est &c. de iniurijs &
dam. Cap. finali. Ino si stipendum accepit, non modo de negligentia lata, sed etiam de leui rene-
bitur (ad restitutionem scilicet) ut supra docuimus. Reuera enim tenebantur diligentiores esse ino
diligentiores si stipendum accipiunt. Si igitur debitam diligentiam non adhibuit sibi damnum
venit imputandum, sicuti efficaci cause danni &c. Hæc ille. Ac licet Ostermannus satis
magnam diligentiam præstuisse forte videatur, attamen latam culpam admisiss-
se in suo dando consilio videbitur multis, quod homo atheologus limites pro-
fessionis suæ transgressus rei, quam non intellexit, & in qua grauissime, ac dam-
nosissime errauit, si errauit; ultro se se immiscuerit.

Ex his igitur, ut breuissime concludam, mihi sequi videtur euidentissime,
quod Iudices ob plurima inconuenientia, quæ attigi, sententiam Ostermanni
etiâsi ea speculatiuè probabilis foret, in praxi tuta cōscientia sequi non possint.

C A P V T . VIII.

*An aliquid ex libro Iobe contra probam hanc adferri,
ac opponi possit.*

EX hoc libto fateor, nihil expresse traditum contra probam hanc inuenitur,
duo tamen, quæ non omnino extra rem nostram sunt, non improbabiliter
ex eo

PROBÆ STIGMATICÆ

42

ex eo deduci possunt. Nam constat ex eodem libro, quod tametsi sanctus Iob fuerit innocens, simplex ac rectus corde, & permanens in innocentia sua, traditus sit a deo diabolice potestari in tantum, ut ea non solum in totam huius Sanctissimi viri substantiam libere fuerit debacchata, sed etiam ut Sanctum Iob percosserit vlcere pessimo. Egressus igitur Satan a facie domini, ait S. Scriptura, Iob. cap. 2. v. 7. percosserit Iob vlcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem eius. Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilino. Hinc enim euidenter sequi videtur, quod falsa sit regula quam ex mente Binsfeldij pag. 89. hisce verbis tradit Ostermannus. Ex cōmuni Theologorum verâ doctrina non esse permisam diabolo potestatem super iustos, sicut impios, & iustos. Nam falsum hoc est si intelligatur de afflictione corporali, & temporanea, quæ scilicet corpus, & ista extranea tangit, & animam non lœdit, & si intelligatur ita quasi iusti minus semper ex permissione dei affligerentur corporaliter, quam iniusti ac peccatores. Quis enim iustior fuit quam Sanctus Iob? is tamen non solum in exterioribus istis, sed etiam in corpore proprio ita afflictatus fuit, adeo, ut Sanctus Iacobus illum omnibus Christianis proponet patientię exemplū ita de eo scribat c. i. v. ii. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob auditis, & finem domini viditis, quoniam misericors Dominus est misericordia. Nonne etiam quotidie videmus, quod se penumero recens baptizati pueri, (ut bene ponderauit S. Hiero) & de quibus de fide est, quod sint iustificati, a dænone corporaliter diuexentur, quodque magicis in cantationibus miserandū in modum subsint, ac lenta morte tandem contabescant, cum interim peccatores validi, ac robusti, & qui in peccatis inueterati sunt penitus, ab omni simili sunt plaga immunes torti per omnem vitam suam? Bene Cato cū videret res Pompei infæliciter succedere, & victoriam ad Cæsarem inclinare dixit. In rebus diuinis multum esse obscuritatis, eo, quod Pompeo præter fas res suas promouēti omnia prosperè succederent, iustum vero rei publicæ causam tueri sinistrè omnia eueniret. Et Sanctus Propheta Dauid psalmo 72. fatetur se multū laborasse, ut cognosceret cur ipsi peccatores in sæculo abundantes essent, & obtinerent diuitias, nec se prius ab isto nodo quæstionis extricatum esse, quam cum intraret Sanctuarium Dei ac intelligeret in nouissima eorum. Similiter Sæcundus (Ierem. 11.) Propheta Ieremias eadem quæstione pulsatus deo conquerebatur dicens. Cap. 12. *Iustus quidem tu es Domine, si disputerem tecum, verum tamen iusta loquar ad te.* Quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus qui prævaricantur, & iniuste agunt. Sanctus item Iob cap. 21. eandem quæstionem mouens ait. *Quare ergo impiorum viuunt, subleuati sunt, confortati que diuitijs? semen eorum permanet coram eis propinquorum turba, & nepotum in conspectu eorum.* Interim tamen verissimum quoque est quod Regius propheta psalm. 33. ait Oculi Domini super iustos, & aures eius in pretes eorum. Nam gloria hipocritæ est ad instar puneti, & gaudent impij ad sonitu tympani,

F

tympani,

CONFUTATIO

tympani, & in puncto ad infernum descendunt. Iustos autem tametsi afflittiissimos Deus gratia sua praeuenit, comitur, ac subsequitur, facitque ut digni sint aeterna retributione. 2. ex eo quod Sanctus Iob percussus fuerit a Sathanam vlcere pessimo non incongruenter ad hominem ita argumentari quis poterit. Quod si vera esset de stigmatica proba, Ostermanni Sententia sequeretur, quod si Diab. ista ipsa vlcera quibus S. Iob percussit, exsiccasset, adeoq; ad ususset ut sanguinis in eis nihil fuisset, S. Iob merito potuisse haberi suspectum de Magia, & ad torturam rapi. consequens est absurdissimum, ut patet: ergo & id vnde sequitur. Maior probatur. Quia si in isto casu punctus fuisset in suis vlceribus Sanctus Iob, nihil sanguinis ex eis emanasset, quia nihil sanguinis in eo fuisse supponitur, ergo protinus contra argumentari & concludere potuisset pater ille Michael apud Ostermannum pag. 48. qui ad Dominum Thoro dixit, postquam Archimagi Ludouici corpus pudendum in modum affectum vidisset, & potissimum quod sanguis ex eodem corpore non emanaret, annotasset. Si hichomo esset Augnioni cras mane combureretur. Nam talia signa manifeste conuincunt & nunquam inuenta sunt, nisi apud Magos: valeret quoq; in isto casu Ostermanni argumentatio pag. 76. scilicet. *Qualem enim te inuenio talem te iudico lib. 15. p. 15. ff. iniur.* & talisquisque esse presumitur qualis est habitus. Potuisse autem diabolum, mihi Ostermanni Sancto Iob similia dura & ab omni sanguine exsiccata vlcera imprimere, aut similibus vstitutionibus eum diuexare, nunquam credo negaueris, cum dubium nullum esse videatur, quin considerata natura & potestate diaboli, is illud facere possit, nec unquam probabis ex solidi fundamento, quod Deus non potuerit permittere Diabolo Sanctum Iob percutere vlcere adustulato & sanguine vacuo, sicut percussit eum vlcere humido, ac Sanie pleno, Denique nullam dabitis puto solidam rationem cur non valeat in isto casu ista tua argumentatio. *Qualem te inuenio talem te iudico.*, ergo ad torturam &c.

Iterum si diabolus Sagis suis vnum, alterumque, aut plura vlcera humida, ac purulenta inprimeret in lignum diabolicae illius seruitutis (nam sicuti carnem mortificata, ac exanguem pro signo magiae ponit, ita etiam, si vellet vlcera purulenta ad idem significandum ponere, posset) sequeretur quod Sanctus Iob percussus a diabolo similibus vlceribus in isto casu debuisset rapi ad torturam. valeret enim tua argumentatio qualem te inuenio talem te iudico. Nam quod ista tua stigmata, quae mortificata sunt, & in corpore vndique sano reperiuntur sint signa commissae magiae plane est ab instituto dæmonis. Qui talia vlcera, quibus Sanctus Iob percussus fuit, instituere ad eandem magiam significandam potuisset. Nec refert quod de facto non aliter, quam sicuti ex libro de tribus emerguennis affirmat Ostermannus, diabolus facere putetur. Nam aliter ordinare

PROBÆ STIGMATICÆ.

43

nare potuisset, & etiam quacunque eius ordinatione positâ nunquam admittendum esset, quod ipius nequitia ac fraude tantum efficeretur, ut S. Iob aut quis aliis innocens, ac non magus velut magus ad torturam raperetur. Potius itaque admittenda est sententia Delrionis, antiquandam scilicet penitus hanc probam stigmaticam, cum doctissimi huius viri sententia Diabolus Iudicibus imponere possit, vt eos in superstitione ista detineat, & vt innocentes subinde plectantur. Ac ne videatur casus iste nimis metaphysicus apprehensa N. fuit N. N. ob suspicionem Magiæ, ideoque probæ isti, ac fortuito eius euentui subiecta, & sanguinem dum pungeretur emisit, quod Deus Diabolum cohiberet, ne nequitiam suam circa istam personam faceret vnde innocens putata ac libera dimissa fuit. Quæro igitur si Diabolo potestas data fuisset prout ea dari potuisset, sanguinem in ista persona cohibendi, an tu Ostermanno eam continuo rapuisses ad torturam, ac quæstionibus subiecisses? omnino inquies. Nam vallet apud me lex dicens. Qualem te inuenio talem te iudico. sed iterum peto. Vnde tu habeas quod ista tua lex, vel potius ista tua argumentatio ex verbis istius legis desumpta solida, ac subsistens sit? Corpus certe Iuris tam ciuilis, quæ Canonici nihil tibi subsidij subministrabit, nec ies naturale vllum. ex quo ergo Iure ista argumentatio constat? vis? Dicam. ex Iure quod Diabolus instituit. Nâ ab eius instituto abstractendo. Fluxus sanguinis secundum Iura recepta, &c. superioribus potestatis lata in ea apprehensa, ac probam istam probata persona tam significauit quod non Maga quam quod pura, ac illibata Virgo esset. vel si tu aliter putas. adfer mi Ostermanno loca, & iura hoc affirmantia, quod tu toto isto tuo libro assererem potius quam probare conatus es.

CAPVT. IX.

*An Ostermanno ac eius sententiæ fautoribus, ac executoribus,
spes esse possit aliqua, fore aliquando, ut sedes
Apostolica probam istam stigmaticam
sit approbatura.*

Gratulor Ostermanno ex animo, quod libellum, ac sententiam suam sedi Apostolicæ vt filium Ecclesie decebat, subiecerit expectâs ab eadem Apostolica sede causæ istius Definitionem, quâ pro certo sciri possit, quid de proba ista sentiendum sit, & per consequens num posthac ab eadem defiendum sit penitus, aut an bonâ, tutâque conscientia practicari possit. Puto tamen exiguum admodum spem Ostermanno esse posse, fore, vt Penitifex causam istam pro ipso eiusque fautoribus definiat. Nam vt ex sanctis Patri-

C O N F V T A T I O

Paribus docent Theologi, & ut habet praxis Ecclesiastica, neq; Pontifex, neque etiam Concilia generalia definire possunt quiduis, neque proponunt fidelibus nouos fidei articulos, sed ea definiunt, quæ definiri possunt secundū ea quæ in sanctis litteris continentur & quæ veteri & ab Apostolicis acceptæ traditioni sunt conformia, aut quæ in ista traditione continentur. Nam cum controversia esse possit quid sentiendum sit secundum sacras litteras, vel etiam secundum veteris Ecclesiæ placita de hoc vel illo fidei dogmate, & in utramque partem argumenta adferuntur, adeoque quando aliquid per summum pontificem, ac etiam concilia generalia definendum est, respicit pontifex ac etiam Concilia generalia ad S. Scripturæ, procedentium Pontificum, ac Conciliorum decreta, Sanctorumque Patrum asserta, ut antiquam à Sanctissimis maioribus nostris acceptam doctrinam stabiliant, ac latius explicent ut sciatur à qua parte stent sacrae litteræ, & traditio. Vbi autem Ecclesia hoc vel illud determinauit cuius fideliū incubuit in obsequiū Christi captiuare intellectū suum, illisque quæ per Ecclesiam definiuntur fidei assensum præbere, cum propter infallibilem Spiritus Sancti assistentiam impossibile sit Ecclesiam in aliqua definitione errare. Hinc bene docet S. Thomas 2.2. q.1.a.10. nihil doceri ab Ecclesia, quod in Doctrina Apostolorum non contineatur, sed explicari magis, & proponi fidelibus propter hæreticos. vide, si placet, preter ceteros Theologos Canum lib. 2. de locis c. 7. Bosium de signis Ecclesiæ 1.3. c. 1. qui S. Augustinum & alios Patres citat. Franciscum Suarez 2.2. disp. 2. scđt. 6. num. 15. Molinam 1. parte. q. 1. a. 2. disp. 2. Banner. 2.2. a. 7. dub. 2. immediate ante conclusionem 2. Diuersimode autem continetur aliiquid implicite in eo, quod est de fide. Primo enim continetur aliiquid in eo quod est expresse de fide, sicuti species in suo genere, aut, ut in diuiduum in specie, adeo ut sit generalis aliqua reuelatio distributiva, in qua singulares omnes propositiones, quæ explicitè vel implicitè vi iustiū propositionis generalis de fide sunt, formaliter, tametsi confusè continentur. Exempli causa de fide est omnes infantes rite baptizatos esse iustificatos. in qua generali propositione continetur haec particularis propositione: iste puer rite baptizatus est iustificatus, quæ particularis propositione illi, cuius eidem continetur constat, quod iste puer sit rite baptizatus de fide est. Vel continetur in eo quod de fide est sicuti definitum continetur in sua definitione, sic de fide est Christum Dominum esse hominem, in quo continetur illa, Christus est animal rationale, cum de essentia, & quidditate hominis sit, quod sit animal rationale. vel continetur in eo, quod de fide est, sicuti proprietas in essentiâ suâ, adeoque mediae. de qua distinctione, & assertionibus, quæ inde deducuntur, aliquando clarius quam multi alij Francisco Suarez 2.2. disp. 3. scđt. vndecima a. 5.

At vero quod proba stigma tanta sit legitima, quodque Iudices sine villa supersti-

PROBÆ STIGMATICÆ.

45

perstitionis specie eam bona conscientia practicare possint, ne verbulo quidē, continetur in Sacris litteris, vel in traditione Ecclesiastica, neque continetur in aliquo, quod de fide est, ut continetur in diuiduum in sua specie, ac genere, neque ut definitum in sua definitione, neque ut proprietas in sua essentiā. Ergo nullum dari potest Sedi Apostolicæ certum quoddam principium, ex quo probam illam approbet, eamque faciat ab omnibus Iudicibus per vniuersam Ecclesiam quando procederetur contra crimen magicum, usurpari ac practicari. Attulit quidem hinc inde Ostermannus loca Sacré Scripturæ aliqua, quod in longo ac verboso tractatu non est usque adeo difficile. Sed nisi ego vehementissimè fallor, nullus ab illo citatus est locus ad rem nostram, de qua disputamus pertinens. Produxit etiam testimonia Tertulliani, ac Prudentij, sed illi de alio stigmate loquuntur, quam de quo nos, & non insinuant quidem, quod proba ista sit legitima, & si hoc aperte dicerent, Tertulliani, tamen ac Prudentij authoritas tanti non est, ut possit rem aliquam facere de fide. Necesse ergo meo iudicio est, ut Ostermannus causę quam defendendam suscepit, plane diffidat, aut eam ex alijs testimonij, atque authoritatibus muniat ac corroborer. Quod autem summus Pontifex probam istam damnare possit, multa certe sunt theologica principia, ex quibus damnationem istam perat. Etenim apud S. Patres constans, ac certum est, quod omne nouum dogma, & de quo haec tenus Ecclesiæ nihil constitit, sit falsum, & ad minimum de hæresi suspectum. 2. Certum est quod omnes vulgares istiusmodi probæ sint abrogatae. 3. De fide est quod debeamus cauere ab insidijs diaboli. 4. Quod nos Christiani abrenūtiauerim⁹ diabolo & omnibus operibus eius. 5. Quod superstitiones omnes, ac tentationes Dei sunt omni iure prohibita. Quamobrem ut Pontifex hanc stigmaticam probam abroget opus illi duntaxat est thesin ad hypothesis reuocare. Est enim dogma quo hæc proba nititur nouum, est etiam proba hæc vulgaris. In ea facillime diabolus potest suas insidias struere, opus item est diaboli quod exploratur, denique superstitionis, atque tentatio in hac proba interuenit. Reuocet ergo, ut dixi Pontifex thesin ad hypothesis, proba hæc continuo damnata erit, & expressè damnata habebitur ab omnibus Catholicis.

C A P V T. X.

Resoluuntur argumenta Ostermannica.

EX his, quæ dicta sunt, non erit difficile ea quibus Ostermannus sententiam suam propugnare voluit, refutare: ne tamen non tam contemptum se, quā refutatum iure conqueri possit, percurram breuiter ea, quæ in contrarium obiecit, & quæ contra me esse evidentur. Ad priores igitur libelli sectiones nihil necesse est respondere, nam nihil ad rem nostram pertinent. Quod autem ad

F 3

testi-

CONF V T A T I O

testimonia Mariæ de Sains & similium probrofissimorum hominum attinet, abunde, nisi fallor, satis factum est à me supra. Illis itaque omissis principio mihi aberrasse videtur à veritate Ostermannus, quod stigmata à Diabolo Sagis impressa vocet stigmata supernaturalia, nam constat ex melioribus Theologis quod vna duntaxat supernaturalis sit substantia, nimirum Deus, qui rerum tam naturalium quam supernaturalium fons & origo est: Secundo quod nulla possit creari à Deo substantia supernaturalis; imo si per possibile, vel impossibile Deus crearet perfectissimam substantiam, quam creare potest, illa substantia esset naturalis substantia, non supernaturalis. Ex quo ergo habet Ostermannus, quod stigmata ista vocari debeant supernaturalia? Certè caro mortificata, & insensata est substantia creata, & haud dubie substantia naturalis: causa autem efficiens stigmatis, scilicet dæmon, substantia, & causa est naturalis, rametsi spiritualis sit essentia.

Ipsum denique stigma carnem humanam, adeo que totum hominem non eleuat ad eminentiorem quandam rerum ordinem, quam ad quem suaptè natura homo est proportionatus, sed potius destruit hominem, cumque dejeicit ad vilissimum & abiectissimum quandam statum. Si itaque de nomine questio sit, vocentur stigmata ista, stigmata dæmoniaca, & signa à Diabolo instituta, computenturque inter emissiones illas, quæ à percutientibus angelis fieri consueuerunt.

Præsuppono præterea à Diabolo Sagis stigmata imprimi posse, & ea ab ipso illis, quando vult, imprimi physicè, vel præstigiose. Hinc non tenor respondere ad aetiologias illas vel rationes, quibus Ostermannus laboriosè admodū illud probare contendit. Ex quo etiam patet, quod Ostermannus multos autores pag. 98. citarit pro se, qui nihil tamen illi patrocinantur. nam Sententia illa Auenionensis nihil continet, quod est contra meam doctrinam: nec etiam laudatissimus meus Præceptor Cornelius à Lapide quidquam dixit 2. Petri 2.c. quod meam laedit Sententiam: Sicuti nec Layman si recte consideretur, rametsi admirer ab eodem Laymanno questionem hanc non esse ex professo discussam.

Quare quod ad primam aetiologiam attinet, fateor Diabolum Sagis suis si velit, & ad modum quo cupit stigmata, posse imprimere: tametsi ex loco S. Iob ab Ostermanno allato illud probari non possit. Iacobus autem Iansonius, videtur locutus esse in sensu accommodatio: & probandum esset Ostermanno sensum illum, quem ex Iansonio supra, sententiam illam S. Iob. cap. 41. v. 4. adfert esse à Spiritu Sanct. intentum; probandum hoc inquam, ceterum

P R O B A E S T I G M A T I C A E.

47

Set contra eum , qui stigmata ista negaret. Quod subiicit de agnoscendo quopiam ex vultu, & notis vultui impremissis, examinabo ad conclusionem apodicticam.

De experientia autem, quam dicit esse rerum magistrum, & quod per eam probetur stigmata dari, verum dicit & concludit : Sed per hoc non probatur quod Diaboli fraus in istis stigmatibus, eorumque proba non interueniat, quodque iudices secundum eam diuinare possint, & quod Deum non tentent. Nam de hoc per experientiam, quae sensibus fit, non docetur , sed illud inuestigatur per discursum, & rationes de quibus supra: sicuti nec substantia corporea sensibus visus & tactus percipitur, sed ea inuestigatur, & intelligitur per intellectum, & discursum adminiculo eorum (accidentium scilicet) quae immediate sensibus percipiuntur. Hinc sensus reuera non decipiuntur (tametsi deceptio intellectu inde subsequi possit), etiamsi contigeret, quod accidentibus suis substantia non subefset, & nuda accidentia permanerent, ut sit in accidentibus Sanctissimi Sacramenti , cum accidentia sint obiectum sensibile sensuum visus, gustus, tactus & immediatum, & obiectum Quo, ut dicunt: substantia autem, quae accidentibus subest obiectum Quod, quia id quod adminiculo sensuum cognoscitur, atque intellectu inuestigatur est substantia, quae obiectum Quod nominari confuerit. An autem , & qualiter deceptio in sensibus fiat, inquirunt philosophi tractantes de anima. Quod si itaque deceptio sequatur in intellectu eorum, qui dum stigmata probant, iudicant se videre quae non vident sibi, & suae curiositatibz attribuant. Nam vt ea, quae supra dixi, vt cuncte & hic confirmem , si ille meretur destitui gratia Dei, & a spiritu fornicationis vinci : imo si hoc ipso mortaliter peccet , etiamsi in fornicationem expresse non consentiat, qui sciens & volens domum alicuius in honeste aut fornicariæ personæ ingreditur, & cum ea familiariter agit, nam exponere se periculo peccati mortalis , ordinariè est peccatum morale , quomodo non merebuntur decipi , & quomodo se non exponunt periculo illusionis diabolicae illi , qui scientes & præsupponentes stigma esse à Diabolo factum , illud certa quadam curiositate , & in ordine ad certum quandam effectum, explorant, vt secundum fluxum aut non fluxum sanguinis superstitione dimittent?

Eodem modo Respondeo ad aetiologiam secundam , & concedo Ostermanno ab illis, qui negant stigmata à Diabolo Sagis imprimi eodem modo negari posse quod nix sit alba : tametsi in ijs stigmatibus , vt pote operibus Dæmonis fraus sit metuenda semper , ac non tam certum sit , quod hic &

nunc.



CONFUTATIO

nunc verè physicum stigma Sagæ impressum sit, quam quod vera & physica alba nix de nocte ceciderit: nam nix opus est Dei, qui veris operibus gaudet, & vera physica ac solida opera facit: stigma autem opus est Dæmonis, qui fraudulentissimus est, & fraudulentissime semper agit, licet subinde applicando aetiua passiuia verum physicum animalculum efficiat.

In tertia aetiologya nihil plane probat contra me ; imo ex ea argumentum contra ipsum desumpsi supra.

Quarta aetiologya proprius ad rem videtur accedere & me nonnihil quatere velle: sed in casuum. Argumentatur enim in hunc modū *contraria*, inquit, *sententia*, nullam scilicet *stigmatibus illis diabolici fidem adhibendam*, est Reipublice pernicioſa, est primo, quia patrocinatur criminis grauiſſimo & nocentiſſimo Reipublicæ, & Ecclesiæ, impedit, enim illius dignam castigationem. Iudices enim, quibus hac opinio est persuasa, vel non puniunt sagas, vel non nisi leuiter concessa vita, hinc fit ut in numeri eo afficiantur, & Diabolus tu-to grassetur. Secundo condemnat precipua tribunalia Orbis Christiani tum Ecclesiastica, qua ſecularia, non ſolum imperitia, & imprudentia, quod inter *stigmata naturalia*, & demonica non poſſint diſtinguere, ſed etiam iniuſtitia, & crudelitatis, quod tam ſeuia morte afficiant homines ob maleſicia que ipſi reuera non commiſerant, ſed que duntaxat ex illis characteribus perperam colligantur. Itaque hac opinio nullo modo tolleranda. hæc ille ſuperciliosæ magis quam perite. Nihil enim veri in tota iſta ratione continentur.

Fallum enim eſt primò, quod *ſententia illa*, quæ probam abrogandam dicit, ſit Ecclesiæ & Reipub. pernicioſa. Eſt enim illa ſententia, ut dictum eſt à me ante fusius, praxi, & definitionibus Ecclesiasticis conformis, & insuper tutiſſime contra immanisſimum hoc magiæ vitium, incedit & ab omni ſpecie mali ſe abſinet.

Secundo fallum eſt, ne quid dicam aliud, quod ſententia illa patrocinetur grauiſſimo, & pernicioſiſſimo criminis: hanc quippe calumniam viris doctis, & per omnia Catholicis, qui in iſta ſententia ſunt, non affingere, ſed probare debuſſet Oſtermannus, ſaltem vmbratilem aliquam iuriſ ſententiolam ad iſtam ſuam censuram palliandam. Doctor, & Professor Iuriſ in medium debuſſet adferre.

Tertio fallum eſt, quod Iudices, quibus hæc ſententia persuasa eſt, sagas vel non puniant vel non niſi leuiter puniant. Nam, ſi qui tales ſunt, de quo mihi non conſtat, quandoquidem facta, & intentiones aliorum ego examinare nō poſſum, nullum patrocinium habent ex iſta opinione contra sagas non procedendi, ſi alias ſint indicia ſufficientia, quæ enorme illud factum, & personas, quæ illud commiſerunt indicant. An non magia agnita & punita fuit in varijs tribunalibus, antequam Diabolus mysterium illud ſtigmaticum inſtituiffet & propalaffet? An ne multi indices ſine iſta proba nupera tritifimè feruentiffimeque

meque ante hac processerunt, & etiamnum procedunt? Etanne multi authores exempli caufa Binsfeldius ex Delrio utilissimos tractatus de magico isto crimen ediderunt, & modum contra illud procedendi luculentissime docuerunt, qui tamen probam istam iam tunc pullulcentem damnarunt? An tu illos mi Ostermann facis patronos sagarum ideo, quod diabolicum istud institutum & pessimarum muliercularum prouulgatum scriptis suis doctissimis explose- runt? Ex quo queso canone, & lege habes, quod contra crimen istud procedi non possit, nisi per probam istam? Quid si Diabolus stigmaticum illud mysterium non instituisset? Quid si reuocaret, & istam suam mutatam voluntatem renelaret per vnā ex relictis discipulisss Mariae de Sains, an tu mi Osterm pronuntiares cōtinuo contra magos procedi non posse? Etsi hoc pronuntiares, an putas tibi sine lege, & Canone, & ratione afferenti ab omnibus credidebere?

Quarto falsum est per hanc sententiam præcipua Orbis tribunalia quæ Ecclesiastica, quæ sacerdotalia imperitiæ, ac imprudentiæ argui, ad quod probandum opus fuisset Ostermanno nominare tribunalia, quæ stigmatica hæc proba vtuntur, & quanam non, vt ita plena comparatio inter vtraque tribunalia institui posset. Mihi vero certum est, quod tribunal Apostolicum, apud quod est Clavis scientiæ, hanc probam nec approbarit, nec usurparit. Secundo quod multa similiter sint tribunalia Sanctæ inquisitionis in Italia, Hispania, alijsque Christiani orbis regnis, & provincijs ab istâ probâ exercendâ libera. Vnde ipsem Osterm. eadē ista tribunalia, & quidē omnium supremū imperitiæ, ac imprudentiæ arguit, quod scilicet præstariissimā, & infallibilissimā hanc probâ non adhibeant aduersus perniciosissimum magiæ crimen, quodq; huius probæ neglectu sinant sagas ac magos in immensum crescere, & Diabolum impunè grassari.

Præterea cum mysterium stigmaticum à Diabolo, eiusque instituto omnino dependeat, & ille in horas illud mutare possit, anne imperitiæ arguit ipsum Deum Ostermannus, quod tanquam politica gubernationis auctor insuffici- entia media ordinariit, quibus contra magiam procedant, eamque exterminet iudices? Quandoquidem medium stigmaticum à Dæmonis, non Dei instituto originem suam traxit. Vnde non Deo, sed Diabolo, de medio isto gratiæ agen- dæ forent, nam non Deus, sed Dæmon illius est author.

Denique tam hæc, quam subseqüente aetiologia æquè propugnata fuit proba supra aquam, quam modo illis propugnatæ proba hæc stigmatica. Videatur lib. 4. c. 4. q. 5. l. 2. Delrio, cuius nōnulla verba ad rē non omnino imperitiæ arguitur. Nam sicuti illa contra iudices, qui putabant, quod non possent contra sagas absque probâ supra aquam procedere, prolata sunt; ita etiam contra illos, qui sine proba stigmatica se procedere non posse putāt, prolata esse iure merito censemuntur. Verba autem sunt eiusmodi: Doceantur

CONFUTATIO

(iudices) mortale peccatum esse non obediens Ecclesie, qua rniuersim prohibuit vulgares probations. Non puto me hac in re falli vnam ex causis cur canonicas, & ciuilibus medijs veritatem non assequantur, precipuam esse credo, quod huic superstitione probationi confidant, ceteris, hoc est, iustitia, & Deo diffidant, & ideo eas obeant negligentius. Nonne hoc meretur decipi, & illud? Sed quare ego annè & haec sensura conueniat stigmata probæ & quæ superstitiose, & omnibus confidentibus in ea?

Quintam aitiologiam vel rationem hisce proponit verbis. In criminibus exorbitantibus, & atrocissimis, quæ sunt noctu plerumque in locis abditis & remotis, quæ sunt natura non possunt probari nisi per certum genus hominum, & in quibus nulla remanent vestigia, sed facti transiuntis sunt, & in animo plerumque consistunt, ut sortilegium, heres, & alia, in his inquit, non est religiose inherendum regulis Iuris, sed extra ordinem procedendum dixerat a ceteris criminibus ratione. Innoc. in cap. cù omnes, extra de constit. Alex. & Ias. in l. de pupill. 5. §. si quis forte 4. ff. de nou. oper. nunc. Et à Iudice animosius arbitramur, imo ex indicijs minus legitimis ad torturam perueniendum, Boss. in pract. tit. de ind. n. 200. adeo quod si veritas haberi aliter non potest, conjecturalē probationem purē sufficere non solum ad torturam, sed etiam ad condemnationē. Bald. in li. quicunq; vers. 8. de ser. fugit. & l. cum probatio, ff. de prob. Boss. d. tit. de delict. n. 18. Hylman, Vot. Cameral. tom. 2. part. 1. vot. 6. n. 55. & 65. & maxime Farinac. de indicijs & tortur. q. 43. n. 67. & seqq. Quid igitur vetat, quin proper hoc stigma, quæ iuxta assertiones inquisitorum criminalium in nullis alijs personis, quæ sortilegiis cōmunitate deprehenduntur, indicium aliquod ad torturam colligamus, cum sola effluxio sanguinis, siue ex vulnera, siue ex ore, & naribus post vnu, vel plures dies à morte defuncti, quia experientia hoc docuit, & rariissime sefallit, homicidā indicet, & contra astantē simile quid ministret. Gomez. 3 var. ref. 13. n. 15. Masc. 2. de prob. concl. 867. n. 24. Far. p. 1. tit. 5. q. 52. n. 154. & ibidē ab eo citati.

Respondeo ut ab ultimo incipiā, inducium illud, quod sumitur ex eo quod corpus alicuius defuncti sanguine emitit, in certū est, & nullū. Nam oritur ex causis signotis fluxus ille, non enim constat, an fiat operatione diuina in detestationē homicidij, & ut sic homicida occultus patet, an ex causa aliqua naturali, vt ex impressione aliqua affectuū animæ in sanguinē & spir. quæ ad præceptiam rei inimicæ velut ad repugnandū concitatetur, an fraude aliqua diaboli, ita meus Lessius de iust. lib. 2. c. 29. n. 167. citatique pro se Gomesium.

Secundo rationes cur proba ista adhiberi non debeat, dedi suprà latius, in quibus consisto, donec in contrariū ab aliquo meliores, & solidiores adferantur. fundamentalis autē ratio esse videtur, cur proba ista suspecta, & nulla sit, quod nitatur instituto, & mysterio Diabolico, quod ex vi suscepit Christianismi omnes Christiani detestari, & abominari debent.

Terrio ex meis Theologis, & summistis putauit haec tenus, quod in criminalib. debeat esse probationes ad aliquem condemnadū luce meridianā clariores,

quod

quod lumini naturali conuenientissimum est, & ex lib. absentem ff. de pñnis à Doctribus tradi consueuit. Ostermannus autem in hac sua aitiologia expresse ex alijs docet conjecturalem probationem sufficere iudici, vt ad torturam, & ad condemnationem aliquem rapiat. Questio hic est primo, an solum loquatur de Iudicibus supremis, & an etiam inferiores Iudices hoc suo priuilegio comprehendat, quod optarim ab ipso certa aliquâ lege, & canone comprobari. Secundo num hæc potestas, quam Iudicibus hic tribuit Osterman. tanta sit, vt maiorem aliquam ad quosvis opprimentum quiuis Tyrannorum exoptare non possit. Quid enim tyrannus ali quis etiam bona conscientia, si Ostermanno credimus, non attentabit contra quiduis & quemuis, si illi conjecturalis aliqua probatio sufficiat ad condemnandum aliquem? Quod enim Ostermannus dicit de sortilegio & Hæresi, hoc tyrannus facile extendet ad prodiciones, & crimen læsa maiestatis & maxime cum Ostermannus dicat pag. 57. quod sagæ dignoscendæ sint ex vultu, cum in os hominis illæ non aspiciant, quod tamen experientia falsum esse me iam pridem docuit. Itera pag. 77. quod magis minax sit vultus, & feralis habitus, quod etiam in multis sefellit, & fallit: Item pag. 85. quod ex physiognomia mala præsumptio mala præsumatur. Cum iraque plures homines, quam Magi turgidos, & vastos oculos habeant, imo cum illos non habeant omnes Magi, cum etiam pluribus quam Magis minax sit vultus: & feralis habitus, vt patet in militibus pluribus, imo gentibus integris, & hominibus quodammodo infinitis, quomodo plurimi qui Magi non sunt à Iudicibus ab Ostermanno instructis tanquam magi ad torturam non sunt rapiendi, & occisione condemnandi, quandoquidem conjecturalem probationem aliquam & ad torturam, & ad condemnationem sufficere docuit. Tertio num hic idem dicat alijs verbis Osterman. quod Iureconsultus ille apud Deltionem dicebat, scilicet quod Iudices possint semoto iure, & equitate, & ratione sed proprio dueti motu à dolo alieno quod placuerit statuere. Quod si id quoque velit Ostermannus videat qua censura eandem doctrinam afficiat idem Deltrio libro 4. cap. 4. quest. 5. lect. 1. refutando. 12. argumentum

Cæterum vt ad ea quæ de physiognomiâ tradit Osterm. hic obiter respondeo, dico quod absque diuinatione superstitionis conjecturale quædam physica per physiognomica signa fieri possit; sed quod ea debeat contineri intra debitos limites, vt scilicet nihil amplius per ista signa cognoscatur quam naturaliter per ea cognosci possit. Hinc nullum inde sumi potest indicium vel ad torturam, vel ad condemnationem. Nam in iudicij agitur de criminibus actualiter commissis, non de propensionibus naturalibus, & quasi naturaliter habitualibus. Nec enim yllum physiognomicum à natura datum est indicium ad yllum peccatum

catum actualiter commissum significandum; imo & ipse naturales propensiones, quæ varijs de causis sæpè in effectum non procedunt non nisi tenuiter admodum per signa ista indicantur.

Quod autem iterum ad principalem obiectionem attinet, in criminibus exorbitantibus, fateor, ut v. g. hæresi & sortilegio, quæ priuilegiata crimina dici consueverunt, sæpe recedendum est à regulis Iuris positivi, ad quod non ita strictè princeps supremus alligatur, qui etiam efficere potest, ut inferiores iudices eo non obligentur: nunquam tamen recedendum est à regulis Iuris naturalis: nec villo vñquam modo procedendum est per medium superstitionis, quale est proba ista, ut multis est à me probatum.

Denique falsum est, quod dicit Ostermannus, quod Hæresis, & sortilegium nullum post se relinquatur vestigium. Possunt quidem hæc vitia, sicuti & alia sola mente, & voluntate committi: attamen sortilegium (ut de Hæresi modo nihil dicam) expressiora indicia, & vestigia post se relinquunt, quam adulterium & alia crimina. Etenim fit, vel consummatur erit enim hoc expressa Dei abnegatione: exercetur etiam in saltibus nocturnis coram personis multis, ut supponimus: tristissima quoque post se relinquunt vestigia, quoniam vitio isto homines, & animalia miserrimâ internectione sæpe numero delentur, & bellum atrocissimum ipsis elementis, & segetibus, omnibusque rebus creatis, inò ipsi Deo indicitur, propter quod & temporaria, & aeternâ paenâ est dignissimum. Quid quod ipsem Ostermannus vestigia huius vitij pag. 91. gradatim enumeret?

Sextâ aetiologîa ex eo, quod Diabolus est servus Dei, eumque in nefarijs suis institutis circumnatur, multis congruentijs operosè admodum contatur probare D. Osterm. quod Diab. Sagis suis stigmata ista imprimit vel certe imprimere possit, quod ego nunquam negauero. Quid enim illi facilius, quam sanguinem ex carnis particulâ aliquâ Sagæ extrahere, itaque signum initi inter ipsum, & Sagam fæderis ponere? Cum etiâ innocenter pueris totum sæpe sanguiné exsangat, eosque haec ratione occidat vide Osterm. pag. 24. §. aliud exemplum.

Aduertere tamen circa hanc aetiologiam primo, quod Diabolus, si perfide & Deum, qui fideles per sacro sanctum Baptismum, & Confirmationem obsignat, & spirituali quodam charactere in animabus eorum insignit, exactè imitari velit, potius spirituale, vel tale, quod visibile & palpabile non est, stigma sagis suis imprimere deberet, quam illud, quod crassum, & palpabile, & per fluxum & non fluxum sanguinis explorabile est. Nam character in baptisatis, & confirmatis & ordinatis impressus plane est spiritualis, & inuisibilis, adeo ut etiam in animabus à corporibus separatis, & aeternum damnatis indelebiliter permaneat: circa quem quidem characterem Summus Pontifex nihil disponere potest. Nam quicunque vere & Christianè exempli causa baptisatur, eo insig-
gnitus.

gnitur, & insignitus permanet, quā diu viuit etiam si hæreticus, & magus fiat, immo etiam si damnetur. Et quia non solum ex baptisatis vniuersim sumptis, sed etiam ex illis qui permanent in Ecclesia Catholica verè fideles plures fortè dānantur, quam saluantur, non est character ille indelebilis signum quo Deus electos suos obsignet: sed signum est, quo Deus Christianos obsignat, & quo eos ad alia Sacraenta suscipienda, vel conferenda adaptat. Hinc verum quoque non est, quod tamen Pater ille Michaelis affirmat apud Ostermann. pag. 48. quod crux sit signū electorum. Est quidem crux extrinsecum, & visibile signum, quo Christiani à non Christianis discernuntur, & quo pugnamus ad uetus aëreas istas potestates, sed multi Christianorum, qui crucem Domini Christiane usurpant, non sunt de numero electorum, sed sunt de numero reproborum, ut apud Theologos receprissimum est. Nam multi Christianorum sancta cruce ventient peccatis mortalibus sese coinquinant, & in ijs absq; paenitentiā moriuntur, ideoque aeternū damnantur.

Aduerte secundo præcipuam congruentiam, cur Diabolus Sagas stigmatiſando obsignet, esse ab Ostermanno prætermissam, quæ meo iudicio ea est, vt istis suis stigmatisationibus fraudem faciat iudicibus imponat, & innocentibus, aut vniuersim ijs, qui sagæ aut magi non sunt calumniam, si quādo potest, struat. omnia enim opera eius nobis suspe&tissima esse debent, licet nonnūquā in utilitatem nostram aliquid operari velle videatur, quale putant fortè aliqui esse illud, quod stigmata suis magis imprimat, vt istis velut certissimis notis ab alijs, qui magi non sunt magi discriminentur. Nam vt ait S. Leo fer. 19. de pass. Domini, *Beneficia eius omnibus sunt nocentiora vulneribus.* & S. August. lib. 8. de ciuit. Dei c. 24. Dum beneficia præstat magis nocet, & S. Bernardus in fer. quodam de quadruplici debito in hunc modum discurrit. *Non timeo vobis fratres à viribus satanæ, cum nouerim fortitudinem eius per Redemptoris nostri vulnera traductam & deductam ad nihilum, à versutis & astutis illius formido mibi est pro vobis,* in quibus partim subtilitate natura, partim experientia temporum sub tot annorum milibus eruditus fragilitatem humanae nature quaqua versum se verterit non ignorat. Sic ille insatiabilis homicida primis parentibus nostris non virsus, non leones, non fortia terra animalia delegauit, sed tortuosum, & callidum serpentem, qui per sinuosā volumina nunc caput cauda, nunc caudam capite regere consuevit. Hæc Bernardus. Quis itaque opus illud stigmaticum quod proprium Diaboli est, fraude carere sibi perfuerit, cum sanguinolentus ille homicida nihil magis desideret, quam fraudē facere, hominibus imponere, & innocentibus calumniam facere, maxime cum illi nihil facilius sit, quam fraudem in ista re, de qua agimus facere, & passim exercere.

Aduerte tertio quod Tertullianus lib. de præscript. c. 40. citans ab Ostermanno loquatur de hæreticis sui temporis, qui instigante Dæmonie res à Christo Dō-

mino institutas, ut haereticorum mos est, emulabantur. Non dicit autem Tertullianus, quod diabolus ea, quae circa istos haereticos faciebat sine administriculo hominum haereticorum immediate, & per se fecerit, imo contrariū puto colligi posse ex Tertulliano, subdit enim de gentilium à Numa Pompilio institutis sacris, & ceremonijs subsequentia verba. Ceterum si Numen Pompili superstitiones reuelamus, si Sacerdotia alia officia, insignia, & priuilegia, si sacrificantia ministeria, & instrumenta, & vasorum sacrificiorū, ac piaculorū, & votorū curiositates consideremus, nonne manifeste Diabolus morosus, item illa Iudea imitatus est? Qui ergo ipsas res de quibus sacramenta Christi administrantur tamen amulanter adfectuant exprimere in negotijs idololatriæ, vtique & idē, & eodem ingenuo gestij, & potuit instrumenta quoque diuinarū rerū, & s. Christianorū sensum de sensibus, verba de verbis, parabolas de parabolis profane & emule fidei attentare, hactenus Tertullianus. Quis autem ignorat quod veteres gentiles, & maximè Romani per summū Sacerdotem, & alios inferiores sacrificia, & alia sua superstitionis instituta circa Deos, hominesq; ordinariē fecerint, tametsi omnia ista gentilium superstitionis instituta, ac sacrificia dæmonib; velut authoribus attribuuntur, quia ipsis instigantibus ad amulationem diuinorū mysteriorū apud Iudeos institutorū ordinata erant in hominū certissimā perniciē. Ita etiam dicitur Diabolus à Tertulliano, quodam tingere ipsas quoque res sacramentorum diuinorum in suis mysterijs emulari, & quodam in fronte signari. Faciebat enim hoc per haereticos ab ipso eductos, & ad hoc ab ipso institutos, ut ita tingerent, in frontibus signarent, & res diuinorum Sacramentorum nefariè amularentur.

Porro haeretici quos innuit Tertullianus sunt nefandissimi & spurcissimi Carpocratiani, Gnostici, Basiliiani quorū Principes Magi erat, quiq; in criminiibus nefandissimis, & maxime in probrofissima libidine sagis nostris similimi erant, ut refert, tametsi inuitus s. Epiphanius haeresi 26. & 27. & ex eo, & alijs P.P. Illustriss. Card. Baronius anno 120. Ex quo authore etiā patet, quod ijdē haeretici amuleta peculiaria Deos Basiliidis, & præcipue supremū illum ABPACAZ referentia, aliasq; imagines superstitionē habere, & conferre cōsueuerint, quorum amuletorum effigies, & exempla habes apud eundem Baron. solebant insuper Carpocratis discipuli certis quibusdam notulis, aut Simbolis sese ab alijs hominibus discernere, & ut refert s. Irenaeus l. 1. c. 25. in fine dexterę auris partē perforare. Quæ certe perforatio, stigmatio isti Diabolico mysterio vtrunq; similis est, differentia tamen est ut insinuauit, quod perforatio hęc ordinarie fuerit facta ab hominibus, Carpocratis scilicet discipulis, à quibus proinde totam suam significationem habere potuit. Stigma autem mágicum hodierni temporis immediatē imprimitur ab ipso Dæmone, exploratur per periculosem, fraudulentem, & præstigiosum effectum, totamque suam significationem habet à Dæmone. Imo etiamsi eiusdem qualitatis, & estimationis Carpocraticum stigma

gma impressisset Dæmon, sicuti modo imprimit Magis & Sagis , tantum inde probaretur, quod sicuti Diabolus renouat hoc vlceroſſimo tempore hærefes in veteri Ecclesia , & à Sanctis Patribus condemnatas ; ita etiam renouet ea rūndem hærefeson vetera instituta , c̄eremoniasque imo etiamſi Sancti Patres apertè referrent, quod hæretici illi ad ſcipsos certo cognoscendos per aciculas, & fluxum, & non fluxum iſtum ſanguinis itemque per stuporem, & infenſationem ſic probaſſent, nihil hoc eſſet contra meam ſententiam. Nam referre iſtam probam inter mysteria hæretica, & diabolica, quæ impia , & abominanda ſunt communiter. Vietas autem libentiflſimè darem Oſtermanno manus, ſi probaret, quod vetus illa , & Christiana Ecclesia , itemque Sancti Patres nostri taliter occultos hæreticos, & magos per aciculas , & per fluxum & non fluxum ſanguinis probaſſent , aut illam probam luculentiflſimis ſuis scriptis, quibus de hæreticorum iſtorū mysterijs agunt, approbaſſent, & ſibi commiſſis magiſtratibus ſecularibus demandaſſent , vt talem probam circa magos , & ſagas iſtituerent, eosdemque tortura , veletiam morte condemnarent. Hic quæſo deſudet Oſtermannus. Nam quam diu hoc non fecerit dicam cum Stephano. V. Quod Sanctorum Patrum documento ſanctum non eſt, ſupersticioſa adiuentione non eſt prælumendum, & obſeruabo conſilium Sapientis dicentis Eccleſiaſt. 11. Attende tibi à pefiſero, fabricas enim tibi mala, ne forte inducat ſuper te ſubfannationem in perpetuum. Quis autem quæſo tam pefiſer, quam Dæmon?

Ad ſeptimam aitiologiā conceedo Antichristianos ab ipſo Antichrifo fore iſigniendos, & diab. per ſtigmata iſta quæ ſagis imprimit Antich. forte præludere velle. Hinc tamen non iſertur, ergo diabolus in iſta impressione ſyncerè, agit ſemper vel ergo Iudices iſta ſtigmata certa quadam obſeruatione licite ex plorant, neque Deum tentant.

Oſtauā aitiologiā ſuā idem intendit Oſtermannus , nimirum quod Dæmoſ venefiſis ſtigmata imprimere poſſit & de facto imprimat. Ideoque nihil contra me toto iſto diſcurſu concludit. Proponit enim hoc dilema Oſter. *Stigma ta illa, & note inuicta, qua in venefiſis reprehenduntur, aut ſunt naturalia, aut ſunt ſupernaturalia, id eſt preter communem naturæ ordinem à ſupernaturali aliqua cauſa iuſdem impreſſa.* Respondeo ſtigmata iſta quæ in venefiſis reprehenduntur ſi veræ enti tates physiſcae ſunt, eſſe in reſ naturales, ob cauſas quas ante dedi; reſpectu autē ſubiecti, cui imprimuntur poſſunt eſſe violenta, ſi imprimereſtur alicui contra ſuam expreſſam voluntatem, nam eſſent violenta, quatenus ſunt cōtra elicitū, aut etiā imperatum actū voluntatis, quatenus vero ſubiectum , cui imprimuntur vtcūq; deſtrunnt violenta dici poſſunt reſpectu appetit⁹ iñati. Conatur enim quæ uires quantū poſteſt ſcipsam in eſſe ſuo conſeruarē. Denique efficiuntur, & impi-

C O N F V T A T I O

& imprimuntur à Dæmone, qui nihil supernaturale efficere potest. nec video quid tota ista aetiologia contra me concludere possit Ostermannus

Cæterum ad maiorem veritatis elucidationem circa aetiologiam hanc obseruo primo, quod Ostermannus totum mysterium stigmaticū ponere videatur in eo potissimum, quod notæ istæ, quæ, quando punguntur, & explorantur aciculâ sanguinem non fundunt, & insensatae sunt, reperiantur in medio carnis vnde quaque viuæ, nulla putredine, ac fætore circundatae, quales notæ nusquam in alijs morbis à medicis corpus humanum, eiusque affectiones obseruantibus repertæ sunt, ex quo plane concludendum videtur, quod notæ istæ stigmatis sint à Dæmone duntaxat, & nō ab alijs causis naturalibus. Sed quid si diceretur ab Ostermanno needam cognitum, & exploratum esse, quid Medicorum placita de notis istis determinatura sint, nam licet de omnibus morborum generibus accuratè forte satis pro instituto suo tractarint Medici, attamen paucissimos esse putem, quibus cura fuit ex professo stigmatum istorum naturam, & proprietates indagare: imo sicuti natura noua quotidie protrudit monstra (quod nec Osterman. ignorauit) ita etiam nouos quotidie generat, & causat morbos, aliosque effectus, tum ob aliquem causarum naturalium inter se concussum extraordinarium, tum quod Deus nouis morbis peccata hominum punire, ac castigare de nouo decernit. Ex quo ergo probat Osterm. quod stigmata ista non sint noua monstra à natura nouè protrusa, & generata? & vnde probat quod de essentia particula carnis à causis naturalibus in corpore humano existētibus, aut extra illud existentibus mortificatæ sit, quod particula illa carnis mortificatæ sit in corpore humano cū fætore, & putredine? Deniq; vnde probat quod nulla causa naturalis præterquam Dæmon aliquam particulam carnis mortificare non possit, nisi eadem illa particula sit facta, & putrida, aut saltem carni fætida, & putridæ proximè continua, aut contigua?

Secùdo exépla illa, quæ Osterm. in mediū ad fert in hac sua aetiologia, & quibus probat quod à naturalibus causis sanguis listi possit in eo, qui pungitur, & quod naturaliter nō solù à Dæm. sed etiā ab alijs causis causari possit omnimodus ille stupor, me maxime confirmant in mea sententia, scilicet quod Dæmon fraudè in proba ista facillime facere possit, sanguinē scilicet cohibendo, & stupore inducendo per causas naturales ipsi notas, & ad istū effectū producentum naturaliter habiles, qualis fuit lapis ille, de quo ex Cardano refert Osterman. Tertio mirum admodum mihi videri, quod Osterm. scribat pag. 73. de stupore qui dum per aciculā corpus stigmatum exploratur, cernitur in hunc modum Quæ autem tanti stuporis causa proxima esse queat non admodum anxie erit querendum ei, qui ipse secum reputauerint, quemadmodum nihil homini à Dæmone nisi mortiferum, atque extitiale accidere posset. Nam nisi certum sit quod naturale & intrinsecum sit stigmati-

à Dia-

à Diabolo Sagis impresso sanguinem, quando illud pungitur, cohære, & stuporem illum per modum habitus permanentis causare, nullū est subterfugium Ostermanno, quo probam istam à Magia opere excusat. Etenim si non fluxus sanguinis, & stupor ille non causetur immediatè & formaliter à stigmate, certe qui illum effectum, dum stigma pungit, exspectat, eum exspectat à Dæmone, cum nec corpori, nec stigmati naturale sit istum effectum causare: nec effectus ille causetur à Deo, nec ab angelo bono. Anxiè ergo non solum inquirat Ostermannus quenam stuporis illius sit proxima causa, sed solide etiam probet quæso, & non solum asserat, vti pag. 84. stigma esse proximam causam, quod sanguis, dum proba fit, cohibeatur, quodq; corpus alioqui sanū nō sentiat punctionem.

Dico à Magia opere. Nam supra cap. 4. Mag. à Diuinatione distinxii, illa enim ad opus operā Dæm faciendū, hæc ad cognitionē aliquā ab eodem accipiendū per se & primario rendit, ideoq; etiā connaturalissimum stigmati esset sanguinē cohære, & omnimodā istā insensatio causare, proba hæc à magia sed non à diuinatione defendi posset, ob rationē quā ante dedi. Addo autem rationibus istis, quibus connaturalitatē stigmati oppugnauī, quod proba hæc à mag. defendi nō possit nisi conditionate, si scilicet Dæmō tale stigma posuit, quod naturaliter, & quasi formaliter sanguinem cohibet. Etenim si non tale stigma Dæm. posuit, cui iste non fluxus sanguinis non est connaturalis, certe extraordinariū illum, & corpori humano non naturalē effectū taliter exspectare Mag. criminē est. Et quia omnino in Diab. potestate est stigma cum tali connaturalitate, & absque illa ponere, non video cur in Dæm. potestate non sit facere quoties probatio ista fit vt vere mag. opus in ista proba fiat, ideoque qui ista proba vtruntur proximo, & enidenti Magiæ committendæ periculo se exponunt, quod in se graue est peccatum. Sicuti si impudica, & procax quædam mulier viri alicuius voluntatem, quoties is ab ipsa aspiceretur, in fornicationis consensum moraliter, vel etiā physisce (ponam?) pertrahere posset, & maxime vellet, certe talis vir, si ipse pellicendi istā vim cognosceret, peccaret cōtra castitatem mortaliter, quoties illā mulierē libere aspiceret, ob periculū, cui illā aspiciendo se exponit. Sed anne dæm. omni muliere nequior & procaciore est? & num illi tam facile stigmata, quibus naturalitas sanguinem cohibendi non inest, ponere: vel illum effectū extraordinarium independenter à stigmatibus facere, aut non facere, quam facile mihi est, aut alicui cuicunque homini suspirare. Proinde sicuti tollere & soluere licet ligaturas, aliaque maleficij signa non tamen tollere illa licet cum noua superstitione, aut cum periculo superstitionis committendæ: ita nemini licet stigmata explorare cum nouo superstitionis peccato, aut cum periculo superstitionis committendæ.

Adde hic non tolli signū maleficij, sed explorari in ordine ad certū quendam effectum, & hoc mediante in ordine ad rei occultæ cognitionē accipiendā, idque ex Dæmonis instituto, quod nullo in casu licet, & ne adminiculariter quidem

C O N F U T A T I O
C A P V T . X I.

Respondetur ad conclusionem generalem apodicticam.

Tandem deuenimus ad sectionē vnde cimā libelli Osterm. in quā apodicticē, id est demonstratiū fidem istis signis diab. adhibendam esse, & probā istam legitime usurpari posse concludit. Optassem autem cōclusionē hanç apodicticā ex propositionibus syllogistice dispositis fuisse deductam, vt ita à quouis primo quasi intuitu possit dijudicari, nū conclusio hæc deduc̄ta sit ex eudentibus, certis, immediatis, necessario veris, prioribus, notioribus natura, & causam continētibus conclusionem, propositionibus. Sane si conclusionem apodicticā mihi exhiberet, proponeretue Osterm. libentissime ei vietas darem manus & animitus de parta victoria ei gratularer. Sed tantum abest, vt eius ista conclusio sit vere apodictica, vt nihil minus esse videatur quam apodictica. Discurrit enim in hunc modum. Res dicitur esse eius, cuius signo est signata. l. quod si neq; 14. §. 1. ff. de peric. & commod. rei vendit. cap. Si iudex de sent. Excom. in 6. facit text. in cap. Quodquidā 1. q. 1. & c. quēadmodū 23. q. 7. c. posteā signatur 23. q. 2. c. sane proferatur, & c. Magnæ Extra. de voto. tā quoad dominii, quā quoad possessionē. l. 3. c. de bon. vacant. l. monumentorū. 6. c. de Relig. & sumpt. fun. vbi Dd. Quod publice incisa in æs vel marmor, vel in lapides probent &c. Respondeo res eius esse dicitur cuius signo signata est. quod si neque, sed non semper eius est res, cuius signo signata est. Ratio est, quia sepe contingit, quod aliquis, vel per ignorantiam, & inaduententiam, vel per malitiam rem signet alienā, & non suam, vt experientia notissimum est. Quando autem de hac falsificatione constat, non modo non adiudicatur falsificantis res, quā signauit, sed etiā pro grauitate delicti punitur falsificās, & res vero Domino assignatur, vt par est. Multi præterea sunt falsarij quia falsa instrumenta conficiunt, vel vera falsificant, de qua materia variae in Iure sunt leges & capitula, hinc ipso facto excommunicātur omnes quotquot litteras Apost. falsificant vt patet in Bulla Cænæ & apud summistas v. falsarius Nauarum c. 17. n. 169. qui etiā docet & vere, quod mortaliter peccet qui aliquam scripturā in damnum alterius falsificauit, eā, sciens falsum esse, virtutur, aut malitiose abscondit cum obligatione restituendi omne damnū quod inde sequitur. Denique instrumenta confecta per falsificatē Notarium ipso iure sunt nulla, postquam scilicet de falsitate conuictus & condemnatus est Notarius ille, vti ex iure & Bartolo docet Syluester v. falsarius. n. 5. At vero in casu nostro Diab. stigmatando sagas, easque suo quasi sigillo obsignando, obsignat non rem suam sed alienam. Etenim saga quia homo & creatura est, plurimis titulis est & manet Domini Dei, & quidquid in rem istam attinet Dæmon, tyrannicā attentat usurpatione, teneturque se homo quamdiu uiuit, ex vi solius domini quod Deus in illum retinet, quidquid cum Dæmone contraxit retractare quantocius, & suam omnem perfidiam vera in Deum pœnitentia delere. Quamobrē licet in stigmatibus imprimendis

P R O B A E S T I G M A T I C A E.

59

primendis officio Notarii fungi videatur Dæmon, ut patet apud Osterm. pag. 41. quia id sigilla sua sagis imprimit: attamen nullam fidē omnia ipsius sigilla, ac instrumenta promerentur, videnturque ipso iure quasi naturali nulla. Nam eorum author Dæmon spiritus est mendacissimus, & Pater mendacij, & est homicida ab initio à Christo Domino iudice omnium viuorum ac mortuorum pronunciatus. & tam multa criminis falsi commisit, ut potius omniū falsorum Notariorum instrumenta admittenda forent, quā instrumenta & testimonia Dæm. Et vero quia Dæmonis verbis nullomodo ab illo Christianorum credendum est, cum ex fide quę verbis illius adhibetur, certissima toti generis humani pernicies sit procreata, & non aliunde homines in quęquis peccata, & aternā damnationē passim precipitentur, quam quod eius verbis, aut suggestionibus crediderint, credantque, nullo etiā modo signis & operibus eius significantibus credendū est. Nam signa ista, ut etiam docet Osterm. sunt loco verborum, & non habent maiorē autoritatem quā eius est authoritas, qui signa ista instituit, aut qui per ea signa iam posita significat, & proloquitur. Quare sicuti non est credendum Dæmoni dicenti, hæc est Saga, ita etiam non est credendū eidem Dæmoni in fronte alicuius hominis legibilibus litteris scribenti, hic est mag⁹ aut hæc est saga: ita similiter nec credendū esset Dæm. signanti & sigillanti per certa signa, & stigmata & quasi re ipsa dicenti, hæc est saga. ratio est quia Dæm. tam est mendax, & toties est de falsitate conuictus, ut nec dicit, nec signis suis villam fidem promereatur, & ut semper de falsitate contra eum sit præsumendū. Et scire velim cur magis credendū sit Dæm. verbis dicenti, aut signis significanti hæc est saga, quam debuerint primi parentes nostri credere Diabolo dicenti, Eritis sicuti Di⁹ scientes bonum & malum.

Addo etiamsi Diab. aliquid dicat, quod est expresse in sacris litteris, aut quod alias est de fide Catholica, Diab. illud dicenti nō esse credendum, quoniā si illud idem crederetur quia Diab. hoc dicit, auctus ille credulitatis ut sic esset auctus fidei Diabolice. exempli causa, hæc propositio Deus est trinus & unus, est de fide Catholica & expresse à Deo reuelata. Hinc aliquis hanc propositionē credens ideo, quia à Deo reuelata est, aut quia Eccles. (quatenus illa scilicet substans regimini & directioni Sp. San&t.) illa propositionē docet, elicit auctū fidei diuinæ. Si vero eadem propositionē credat quod eam doceat Eccles. quatenus illa est congregatio plurimorū insignissimorū, & Doctiss. virorum, elicit tum quidē auctū fidei humanae excellentissimæ, non autē diuinæ. Si vero eandem propositionē credat, quia eam audiuit ex suis parentibus & similibus elicit etiā auctū fidei humanae: deniq; si eam credat, quia eam Diab. reuelauit, aut reuelavit, elicit auctum fidei Diab. cum auctus ille ut isti reuelationi substans in Dæm. reuelantis autoritatem resoluatur. Atque hoc est quod Ostermannum in toto suo discursu decepit, quod non aduerterit Diab. siue is loquatur consultus, siue vltro se ad loquendum offerat, esse falsarium, & dicta signaque eius semper esse falsissima & suspectissima, & diuinæ-

H 2

tionem



C O N F V T A T I O

tionem superstitionis in hoc consistere quod signis à Diabol. positis creditur, & per ea in occultorum aut futurorū cognitionem deueniatur. Hinc etiam si credā eo ipso quod equus, bos, ouis, vel alia res cum signo Osterm. notata sit Osterm. propria quoad dominium, & possessionem, arguunt. tex. in l. stigma C. de fabri-
cen, vt ipse citat; non tamen credo quod res aliqua sit Dæm. quam ille sigillo suo
signauit. Nam pro Osterm. & bona eius fide, & sigillo ab omnibus semper præ-
sumitur & præsumi deberet: de Dæmonie autem & fide eius, semper præsumendum
est quod fraudem & deceptionem faciat. Quo etiam modo iudicandum est de
omnibus istis comparationibus, quibus præclaram istam suā apodixin exornauit
Ostrem. Nam Archiepiscop. agnoscitur per pallium, ciuius Romanus per togam,
Iudeus per circumcisio[n]em, clericus per tunisam, mulieres per annulum, mo-
nachus per habitum monachalem. Hæc quippe signa instituta sunt ab homini-
bus ad hoc, vel illud significandum, adeoque quantum est ex se vere id, ad quod
significandum instituta sunt, significant, tametsi in istis signis magnæ fraudulen-
tiae saepe interueniant, nam meretrix saepe se induit habitu matronæ honeste, he-
reticus habitu Catholico, non monachus habitu monachali, vt experientia eu-
identissimum est. Hinc videns aliquem inductum habitu monachali monachum
illum. Se iudico, nisi fraudem habitu isto induitus fecerit. At stigma ista signa
sunt Diab. de quorum essentia est, vt fraudē & deceptionē faciant, & contra quæ
corūq; authorē Diab. semper præsumendū est de deceptione, & fraude. similiter
dicendum est, quod aliquis cognosci possit ex vultu, cum vultus & illi impressæ
notæ aut delineationes signa sint naturalia per quæ homines ab inuicem natura-
liter digneſuntur. Ita notæ ille quibus homines in ludum vel metallum pro cri-
minibus damnati, antiquitus insigniebantur, & quidē in facie (quæ legem Chri-
stianissimus Imperat. Constant. Magnus aboleuit, volens notas istas in manibus
vel suris invri, ne facies hominis deturparetur, & quam legem postea restituit
Imperat. Iconoclasta Theophilus) signa erant à magistratu legitimo impressa, &
ordinarie fraus ab illis aberat. verum de notis istis & seruis stigmaticis & literatis,
& de nobilibus stigmaticis alicubi eruditæ more suo differuerit Illusterrim⁹ Card.
Baronius. Cum itaq; nulla inter ista signa naturalia, & politica, & stigma Diab-
olica iusta comparatio esse queat, quæ quidem ad rem nostram pertineat,
videat quæso Ostrem. num elenchum comparationis ille ipse admiserit potius,
quam Doctores & Consultores Leodienses, & mei Louanienses, quos ab Ost-
mannio arietatos esse admodum miror, cum si putauerint fortissimas manus phi-
losophorum, medicorum, Iuristarum ac Theologorum emittere possint, quibus
aciem suam velut nouo milite, & nouis animis erigant & nouum suum
hostem nec ipsum firmo pede in acie consistentem, vel peni-
tus prosternant, vel in apertam fugam
conijciant.

F I N I S.


G6 2233



1077

n. 65

B.I.G.



SREVIS & CATEGORICA
E PROBA

MATICA
CILICET EA LICI-
SIT, NECNE.

negatiua propugnatur.

M REFVTATIONE
ARII IVRIDICI, HAC
lariss. & consultiss. D. PETRO
no I. V. Doct. nuper
conscripti.

V C E M E D I T A
à

NE IORDANÆO
arum Ecclesiastum SS. CASSII, & FLO-
& B. MARIAE Ressensis, ac Paro-
EMIGII Bonn. Canonico,
& Pastore.

istolica, quam humillimè subiecta.



AE AGRIPPINÆ,
thoris. Prostat in Officina
ria Egmondana.